An. et vol. C 5 Decembris 2008 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Liberio González Nombela, presbytero, et XII Sociis ex clero archidioecesis Toletanae Beatorum martyrum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. – « Quia eris testis illi ad omnes homines eorum » (*Act* 22, 15).

Venerabiles Servi Dei Liberius González Nombela et XII Socii, inter quos unus fuit subdiaconus XXII annos natus, ceteri autem presbyteri ex clero archidioecesis Toletanae, fidem testificati sunt vitae suae oblatione. Cum enim annis MCMXXXVI-MCMXXXIX in Hispania horribile grassaretur bellum civile, ipsi interfici maluerunt, ne fidelitatis coniunctionem negarent cum Domino et cum sancta catholica Ecclesia. Interempti sunt anno MCMXXXVI diversis in locis archidioecesis Toletanae.

Ipsi sunt:

1. Liberius González Nombela, presbyter. Natus est die XXX mensis Decembris anno MDCCCXCV in pago *Santa Ana de Pusa*. Die XVIII mensis Augusti necatus est.

2. Franciscus López-Gasco Fernández-Largo, presbyter. Natus est die IV mensis Octobris anno MDCCCLXXXVIII in pago *Villacañas*. Die XIX mensis Augusti necatus est.

3. Michaël Beato Sánchez, presbyter. Natus est die X mensis Aprilis anno MCMXI in pago *La villa de Don Fadrique*. Die VIII mensis Septembris necatus est.

4. Bartholomaeus Rodríguez Soria, presbyter. Natus est die VII mensis Septembris anno MDCCCXCIV in pago *Ripèar*. Die XXIX mensis Iulii necatus est.

5. Mamertus Carchano Carchano, presbyter. Natus est die XXI mensis Iulii anno MDCCCLXXIX in pago *Elche de la Sierra*. Die VIII mensis Septembris necatus est.

6. Agricola Rodríguez García de los Huertos, presbyter. Natus est die XVIII mensis Martii anno MDCCCXCVI in urbe *Consuegra*. Die XXI mensis Iulii necatus est.

7. Satuminus Ortega Montealegre, presbyter. Natus est die XXIX mensis Novembris anno MDCCCLXVI in pago *Brihuega*. Inter diebus V et VI mensis Augusti necatus est.

8. Dominicus Sánchez Lázaro, presbyter. Natus est die IV mensis Augusti anno MDCCCLX in pago *Puebla de Montalbán*. Die XII mensis Augusti necatus est.

9. Ioachimus de la Madrid Arespacochaga, presbyter. Natus est die VI mensis Novembris anno MDCCCLX in pago *Bellver*. Die I mensis Augusti necatus est.

10. Iustinus Alarcón Vera, presbyter. Natus est die I mensis Augusti anno MDCCCLXXXV in pago *Fuensalida*. Die I mensis Augusti necatus est.

11. Iosephus Polo Benito, presbyter. Natus est die XXVII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXIX in urbe *Salamanca*. Die XXIV mensis Augusti necatus est.

12. Franciscus Maqueda López, subdiaconus. Natus est die X mensis Augusti anno MCMXIV in pago *Villacañas*. Die XII mensis Septembris necatus est.

13. Richardus Pla Espí, presbyter. Natus est die XII mensis Decembris anno MDCCCXCVIII in pago *Agullent*. Die XXX mensis Iulii necatus est.

Populus Dei universos hos Dei Servos fidei consideravit martyres. Huiusmodi fama augescens in annos permovit Eminentissimum Dominum Henricum S.R.E. Cardinalem Pla y Deniel, Archiepiscopum Toletanum, ut anno MCMLXIII Causam incoharet beatificationis seu declarationis martyrii. Expletis inde omnibus iure statutis, Nos Ipsi die XXVIII mensis Aprilis anno MMVI

promulgationem iussimus Decreti de martyrio, ac proinde statuimus sollemnem ritum eorum beatificationis die XXVIII mensis Octobris anni MMVII celebratum iri.

Hodie igitur Romae, in Foro ante Basilicam Sancti Petri, ingenti adstante turba ex Hispania aliisve nationibus catholicorum Pastorum et Christifidelium, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Liberium González Nombela, presbyterum, et XII Socios ex clero archidioecesis Toletanae.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeritensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Ioannis Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Sodi et Sociae;

Bernardus Fábrega Julià, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici;

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunza Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arriola Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 94.105

II

Venerabilibus Dei Servis Cruci Laplana y Laguna, episcopo, et Ferdinando Español Berdié, presbytero, Beatorum martyrum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. – « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi » (*2 Tim* 4, 7).

Coniuncti fide coniuncti et martyrio. Episcopus Crux Laplana y Laguna eiusque peculiaris secretarius, presbyter videlicet Ferdinandus Español Berdié, fidei odio nocte inter diem VII et VIII mensis Augusti anno MCMXXXVI sunt

occisi, exemplaria fidelitatis non solum erga Dominum Christum, sed etiam erga gregem sibi concreditum. Revera tum episcopus tum presbyter, eius secretarius, confugere noluerunt ut vitam servarent, sed cum populo Dei manserunt ad testificandam, etiam sanguine, necessitudinem quae ipsos cum fide iunxerat atque dioecesi Conchensi in Hispania, tristibus diebus vexationis in Catholicam Ecclesiam.

Venerabilis Servus Dei Crux Laplana y Laguna anno MDCCCLXXV in loco *Plan de Aragón* est natus, provincia in Oscensi, dioecesi in Barbastrensi, ex antiqua et nobili familia. Cum sacerdotalem condicionem pro mundana vita eligeret, dioecesanum ingressus est seminarium atque ad sacerdotalem constitit ordinationem, quam die XXIV mensis Septembris anno MDCCCXCVIII accepit. Curriculis expletis iuris canonici Caesaraugustae, multa obiit munera, tum professorem tum pastorem agens. Die XXVI mensis Martii anno MCMXXII Episcopus est consecratus atque pastorale incohavit Conchae ministerium. XIV per annos operam dedit ut tum spiritaliter tum in structuris dioecesis renovaretur.

Venerabilis Servus Dei Ferdinandus Español Berdié anno MDCCCLXXV in loco *Anciles* provinciae Oscensis, dioecesi in Barbastrensi, est ortus. Postquam gradum doctoratus in iure canonico et civili assecutus est, Barbastrense seminarium est ingressus atque sacerdos die I mensis Iunii anno MCMI est ordinatus. Fideliter multis pastoralibus ministeriis sua in dioecesi expletis, anno MCMXXII novo ab Episcopo Conchensi est vocatus ut munus a secretis exerceret. Postquam Episcopus comprehensus est, etiamsi fugere potuit, decrevit eum usque ad postremum supplicium prosequi.

Absolutione mutuo impertita atque anima ad occursum cum Bono Pastore parata, in fidei odium et Catholicae Ecclesiae crudeliter sunt trucidati.

Annis MCMLIII-MCMLVI dioecesi in Conchensi Processu Ordinario instituto, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die XVII mensis Februarii anno MMIV atque in Sessione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum die VII mensis Iunii anno MMV certum est habitum occisionem Venerabilium Servorum Dei verum fuisse martyrium. Die XXVIII mensis Aprilis anno MMVI Nosmet Ipsi facultatem fecimus ut Decretum super martyrio evulgaretur. Deinde ut sollemnis ritus beatificationis Romae ageretur die XXVIII mensis Octobris anno MMVII decrevimus.

Hodie igitur Romae, in Foro ante Basilicam sancti Petri, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos

in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Crucem Laplana y Laguna, episcopum, et Ferdinandum Español Berdié, presbyterum.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeritensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Ioannis Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Socii et Sociae;

Bernardus Fábrega Julià, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici;

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunza Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arriola Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sanctii.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 84.896

III

Venerabilibus Servis Dei Lucae a S. Ioseph Tristany Pujol, presbytero professo ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, Leonardo Iosepho Aragonés Mateu, religioso professo ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, Apolloniae Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosae professae et moderatrici generali Congregationis Carmelitanarum a Caritate, et LXI Sociis Beatorum martyrum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. – « Ipsa sancta et indefessa caritas desiderabat orando acquirere, quos nequivit monendo convertere » (S. Fulgentius Ruspensis, episcopus, *Sermo* 3, 5).

Catholicae Ecclesiae fidelis adhaesio coniunxit in sanguine pro fide effuso Venerabiles Servos Dei Lucam a S. Ioseph Tristany Pujol, presbyterum professum ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, Leonardum Iosephum Aragonés Mateu, religiosum professum ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, Apolloniam Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosam professam et moderatricem generalem Congregationis Carmelita-

narum a Caritate, necnon LXI Socios et Socias in martyrio. Hoc evenit anno MCMXXXVI, tempore cruentis persecutionis qua oppressa est Ecclesia in Hispania, grassante ibi bello civili, praesertim in Catalonia ac maxime Barcinone. Vexatio contra religionem magis irrationalis fuit et perversa quoniam hi Venerabiles Servi Dei dicaverunt se solum orationi atque educationi, pauperibus adiuvandis et aegrotis domi assistendis.

Martyres isti sunt:

A) Fratres Scholarum Christianarum:

1. Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, L annos natus, interfectus in loco *Traveseras* die IX mensis Augusti.

2. Dionysius Aloisius Molinos Coloma, XLVI annos natus, necatus in loco *Traveseras* die IX mensis Augusti.

3. Iacobus Samuel Chamayou Auclés, LII annos natus, Andorram iter faciens martyr occubuit die XVIII mensis Augusti.

4. Chrysostomus Llorach Bretó, LV annos natus, interfectus in loco *Vallvidriera* die IV mensis Novembris.

5. Candidus Albertus Ruiz de la Torre, XXX annos natus, necatus in loco *Vallvidriera* die IV mensis Novembris.

6. Leonidas Colom González, XLIX annos natus, occisus Vallvidriera die IV mensis Novembris.

7. Cyrillus Petrus Manrique Arnáiz, XXVII annos natus, interfectus Barcinone inter dies XVII et XVIII mensis Septembris.

8. Indaletius a Maria Morón Casas, XXXVII annos natus, necatus Barcinone inter dies XXIV et XXV mensis Iulii.

9. Laurentius Gabriel Figueras Rey, XXIV annos natus, occisus Barcinone die IX mensis Augusti.

10. Caietanus Iosephus Palos Gascón, LI annos natus, interfectus in loco *Pedralbes* die XXV mensis Iulii.

11. Caelestinus Antonius Barrio Marquilla, XXV annos natus, necatus Barcinone die XIX mensis Augusti.

12. Felix Iosephus Trilla Lastra, XXIX annos natus, die XIX mensis Martii anno MCMXXXVII martyr occubuit.

13. Lambertus Carolus Mases Boncompte, XLII annos natus, interfectus Barcinone die XXVI mensis Decembris.

14. Benedictus Clemens España Ortiz, XLVII annos natus, necatus Barcinone vertente mense Septembri.

15. Adolfus Marianus Anel Andreu, XXVI annos natus, inter menses Octobrem et Decembrem martyr occubuit.

16. Florentius Michaël García Arce, XXVIII annos natus, interfectus Barcinone die XIII mensis Octobris.

17. Agapius Iosephus Carrera Comas, LV annos natus, necatus Barcinone die IX mensis Decembris.

18. Ildefonsus Aloisius Casas Lluch, L annos natus, exeunte mense Octobri Barcinone martyr occubuit.

19. Benedictus Iosephus Verdalet Compte, XXXIII annos natus, interfectus Barcinone die XXV mensis Iulii.

20. Iosephus Benedictus Mas Pujolbrás, XXIII annos natus, interfectus in loco *Moncada* die XXV mensis Iulii.

21. Marianus Leo López Martínez, XXVI annos natus, necatus in loco *Moncada* die XXV mensis Iulii.

22. Vincentius Iustinus Fernández Castrillo, XXIV annos natus, occisus in loco *Moncada* die XXV mensis Iulii.

23. Amoldus Iulianus Juan Otero, XXXIV annos natus, interfectus in loco *Moncada* die XXV mensis Iulii.

24. Hesychius Iosephus Margenat Puigmitjá, XXXIX annos natus, interfectus in vico *Orriols* die X mensis Septembris.

25. Franciscus Alfredus Mallo Sánchez, XX annos natus, necatus in vico *Palamos* die XIII mensis Augusti.

26. Hilarion Eugenius Cuesta Padierna, XXIV annos natus, occisus in vico *Palamos* die XIII mensis Augusti.

27. Edmundus Angelus Masó Llagostera, XXXIX annos natus, interfectus in loco *Estañol* die V mensis Augusti.

28. Hemerius Iosephus Plana Rebugent, XXXVI annos natus, necatus in loco *Riudellots de la Creu* die XII mensis Septembris.

29. Hugo Iulianus Delgado Diez, XXXI annos natus, occisus in loco *Riudellots de la Creu* die XII mensis Septembris.

30. Aloisius a Iesu Marcou Pecalvel, LV annos natus, interfectus Barcinone die XXII mensis Iulii.

31. Eusebius Andreas Roldán Vielba, XLI annos natus, necatus Barcinone die XVII mensis Novembris.

32. Adolfus Iacobus Serra Hortal, LVI annos natus, in pagum *Roda*, in provincia Gerundensi, iter faciens die VII mensis Augusti martyr occubuit.

33. Michaël a Iesu Puigferrer Mora, XXXVIII annos natus, necatus in pago *Roda* die XII mensis Septembris.

34. Victorius Anglés Oliveras, XLIX annos natus, necatus in loco *Font del Corp*, in provincia Gerundensi, die I mensis Augusti.

35. Iacobus Bertinus Jaume Secases, XXXI annos natus, in urbe *Manresa*, in provincia Barcinonensi, die XXVII mensis Iulii martyr occubuit.

36. Leo Iustinus del Valle Villar, XXX annos natus, interfectus in urbe *Manresa*, in provincia Barcinonensi, die II mensis Decembris.

37. Honestus Maria Pujol Espinalt, XLII annos natus, necatus in urbe *Manresa*, in provincia Barcinonensi, die XXVIII mensis Iulii.

38. Raimundus Eligius Serra Rovira, LX annos natus, in vico *Balsareny*, in provincia Barcinonensi, die XXVII mensis Iulii martyr occubuit.

39. Franciscus Maginus Tost Llavería, XXI annos natus, interfectus in vico *Balsareny*, in provincia Barcinonensi, die XXVII mensis Iulii.

40. Ollegarius Angelus Rodas Mas, XXIV annos natus, necatus in loco *San Hipólito de Voltregá* die XVIII mensis Augusti.

41. Honoratus Alfredus Pedro Calvo, XXIII annos natus, occisus in loco *San Hipólito de Voltregá* die XVIII mensis Augusti.

42. Eliseus Vincentius Alberich Lluch, XXX annos natus, interfectus in vico *Valderrobles* die XXV mensis Augusti.

43. Valerianus Aloisius Alberich Lluch, XXXVIII annos natus, necatus in vico *Valderrobles* die XXV mensis Augusti.

44. Onuphrius Tolosa Alsina, LVI annos natus, in pago *Vidreras* die XXV mensis Augusti martyr occubuit.

B) Moderatrix Generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate:

45. Apollonia a Sanctissimo Sacramento Lizarraga y Ochoa de Zabalegui, LIX annos nata, interfecta Barcinone die VIII mensis Septembris.

C) Religiosi Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum:

46. Lucas a S. Ioseph Tristany Pujol, presbyter, LXIV annos natus, necatus Barcinone die XX mensis Iulii.

47. Georgius a S. Ioseph Bosch Verdura, presbyter, XLVII annos natus, Barcinone die XX mensis Iulii martyr occubuit.

48. Iacobus a S. Teresia Gascón Bordás, presbyter, L annos natus, interfectus Barcinone die XXIV mensis Iulii.

49. Ioannes Iosephus a Iesu Crucifixo Páfíla Monlláo, religiosus, XXV annos natus, necatus Barcinone die XX mensis Iulii.

50. Romualdus a S. Catharina Guillamí Rudó, presbyter, LXX annos natus, Barcinone die XXIV mensis Iulii martyr occubuit.

51. Petrus Thomas Mariae a Columna de Alcántara de Fortón y de Cascajares, presbyter, XLVIII annos natus, interfectus in vico *Garraf* die X mensis Octobris.

52. Aloisius Maria a Mercede Minguell Ferrer, presbyter, XXXIV annos natus, necatus Barcinone die XXII mensis Octobris.

53. Iosephus Marianus ab Angelis Alarcón Ruiz, presbyter, XXIV annos natus, in urbe *Badalona* prope Barcinonem die VI mensis Ianuarii anno MCMXXXVII martyr occubuit.

54. Marcellus a S. Anna Masip Tamarit, religiosus, XXII annos natus, interfectus Barcinone vertente mense Septembri.

55. Antonius Maria a Iesu Bonet Seró, presbyter, XXIX annos natus, necatus Barcinone die V mensis Augusti.

56. Alfonsus a Sanctissimo Corde Mariae Arimany Ferrer, presbyter, XXXI annos natus, Barcinone inter dies XXIV et XXV mensis Septembris martyr occubuit.

57. Eduardus a Iesu Infante Farré Masip, presbyter, XXXIX annos natus, interfectus die XXV mensis Iulii.

58. Gabriel ab Annuntiatione Balcells Grau, presbyter, XXVIII annos natus, necatus die XXV mensis lulii.

59. Ioachimus a S. Ioseph Casas Juliá, religiosus, XXI annos natus, in loco *Moja* die XXIX mensis Septembris martyr occubuit.

D) Sorores Carmelitae Missionariae:

60. Spes a Cruce Subirá Sanjaume, LXI annos nata, interfecta Barcinone die IV mensis Augusti.

61. Maria Refugium a S. Angelo Roqueta Serra, LVIII annos nata, necata Barcinone die IV mensis Augusti.

62. Daniela a S. Barnaba Achurra Gojenola, XLVI annos nata, Barcinone die XXXI mensis Iulii martyr occubuit.

63. Gabriela a S. Ioanne a Cruce Pons Sardá, LVI annos nata, interfecta Barcinone die XXXI mensis Iulii.

E) Alumnus Seminarii Barcinonensis:

64. Iosephus Casas Ros, XX annos natus, necatus in loco *Moja* die XXIX mensis Septembris.

Persistente igitur inter Populum Dei fama martyrii horum Venerabilium Servorum Dei, institutus est Processus Ordinarius in Hispania apud archidioecesim Barcinonensem annis MCMLII-MCMLIX. Praeterea habitus est etiam Processus Rogatorialis in dioecesi Albiensi anno MCMLV. Parata quidem positione, die XVIII mensis Novembris anno MMIII Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum eam approbavit. Deinde die XX mensis Aprilis anno MMIV Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati agnoverunt hos Venerabiles Servos Dei vere ob fidelitatem erga Christum Dominum occisos esse. Coram Venerabili Decessore Nostro Ioanne Paulo II die XXII mensis Iunii anno MMIV promulgatum est Decretum de martyrio. Nos Ipsi autem statuimus sollemnem ritum eorum beatificationis die XXVIII mensis Octobris anno MMVII celebratum iri.

Hodie igitur Romae, in Foro ante Basilicam Sancti Petri, ingenti adstante turba ex Hispania aliisve nationibus Pastorum et Christifidelium, multis etiam laetantibus sodalibus religiosorum ordinum, de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Lucam a S. Ioseph Tristany Pujol, presbyterum professum ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, Leonardum Iosephum Aragonés Mateu, religiosum professum ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, Apolloniam Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosam professam et moderatricem generalem Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI eorum Socios et Socias in martyrio.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Aloisii Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Francisci Gil Hellín, Archiepiscopi Burgensis, Antonii S.R.E. Cardinalis Cañizares Llovera, Archiepiscopi Toletani, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Antonii Angeli Algora Hernando, Epis-

copi Civitatis Regalensis, Iacobi García Aracil, Archiepiscopi Emeritensis Augustani-Pacensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Ovetensis, Caroli S.R.E. Cardinalis Amigo Vallejo, O.F.M., Archiepiscopi Hispalensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Vincentii Jiménez Zamora, Episcopi Santanderiensis, Ioannis Antonii Reig Pla, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Caroli Soler Perdigó, Episcopi Gerundensis, Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, atque Cyriaci Benavente Mateos, Episcopi Albasitensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei:

Lucas a Sancto Ioseph Tristany Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Leonardus Iosephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Socii et Sociae;

Bernardus Fábrega Julià, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis;

Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XXI Socii eiusdem Ordinis;

Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici.

Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et Ferdinandus Español Berdié, presbyter;

Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii;

Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero archidioecesis Toletanae;

Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis;

Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis;

Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto;

Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaël Léibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XL Socii;

Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missionariorum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginestá, laica;

Caelestinus Iosephus Alonso Villar et IX Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Angelus Maria Prat Hostench et XVI Socii, ex Ordine Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Henricus Sáiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii;

Marianus a Sancto Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre et IX Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

Euphrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo;

Laurentinus Alonso Fuente, Vergilius Lacunza Unzu et XLIV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis;

Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XIII Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

Ovidius Bertrandus Anuncibay Letona, Hermenegildus Laurentius Sáez Manzanares, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Iacobus Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus Maria Cánovas Martínez, presbyter dioecesanus;

Maria a Monte Carmelo, Rosa et Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae;

Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano;

Emmanuela a Corde Iesu Arriola Uranga et XXII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Iesu Christi, Beati nomine in posterum appel-

lentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 84.898

HOMILIA

Precatio habita in Cappella « Redemptoris Mater » coram Sua Sanctitate Catholikos ex Cilicia Armenorum, Aram I.*

Your Holiness,

With heartfelt affection in the Lord I greet you and the distinguished members of your delegation on the occasion of your visit to the Church of Rome. Our meeting today stands in continuity with the visit which you made to my beloved predecessor Pope John Paul II in January 1997, and with the many other contacts and mutual visits which, by God's grace, have led in recent years to closer relations between the Catholic Church and the Armenian Apostolic Church.

In this year of Saint Paul, you will visit the tomb of the Apostle of the Nations and pray with the monastic community at the basilica erected to his memory. In that prayer, you will be united to the great host of Armenian saints and martyrs, teachers and theologians, whose legacy of learning, holiness and missionary achievements are part of the patrimony of the whole Church. We think of Saint Nerses Shnorkhali and Saint Nerses of Lambon who, as Bishop of Tarsus, was known as "the second Paul of Tarsus". That testimony culminated in the twentieth century, which proved a time of unspeakable suffering for your people. The faith and devotion of the Armenian people have been constantly sustained by the memory of the many martyrs who have borne witness to the Gospel down the centuries. May the grace of that witness continue to shape the culture of your nation and inspire in Christ's followers an ever greater trust in the saving and life-giving power of the Cross.

The See of Cilicia has long been involved in encouraging positive ecumenical contacts between the Churches. Indeed, the dialogue between the Oriental Orthodox Churches and the Catholic Church has benefited significantly from the presence of its Armenian delegates. We must be hopeful that this dialogue will continue to move forward, since it promises to clarify theological issues which have divided us in the past but now appear open to greater consensus. I am confident that the current work of the International Commission – devoted to the theme: "The Nature, Constitution and

* Die 24 Novembris 2008.

Mission of the Church" – will enable many of the specific issues of our theological dialogue to find their proper context and resolution.

Surely the growth in understanding, respect and cooperation which has emerged from ecumenical dialogue promises much for the proclamation of the Gospel in our time. Throughout the world Armenians live side by side with the faithful of the Catholic Church. An increased understanding and appreciation of the apostolic tradition which we share will contribute to an ever more effective common witness to the spiritual and moral values without which a truly just and humane social order cannot exist. For this reason, I trust that new and practical means will be found to give expression to the common declarations we have already signed.

Your Holiness, I cannot fail to assure you of my daily prayers and deep concern for the people of Lebanon and the Middle East. How can we not be grieved by the tensions and conflicts which continue to frustrate all efforts to foster reconciliation and peace at every level of civil and political life in the region? Most recently we have all been saddened by the escalation of persecution and violence against Christians in parts of the Middle East and elsewhere. Only when the countries involved can determine their own destiny, and the various ethnic groups and religious communities accept and respect each other fully, will peace be built on the solid foundations of solidarity, justice and respect for the legitimate rights of individuals and peoples.

With these sentiments and with affection in the Lord, I thank Your Holiness for your visit, and I express my hope that these days spent in Rome will be a source of many graces for you and for all those entrusted to your pastoral care. Upon you and all the faithful of the Armenian Apostolic Church I invoke an abundance of joy and peace in the Lord.

ALLOCUTIONES

I

Ad participes Congressus de Pio XII apparati a Lateranensi et Gregoriana Studiorum Universitatibus.*

Signori Cardinali,
Venerati Fratelli nell'Episcopato
e nel Sacerdozio,
cari fratelli e sorelle!

Sono lieto di accogliervi in occasione del Congresso su «*L'eredità del Magistero di Pio XII e il Concilio Vaticano II*», promosso dalla Pontificia Università Lateranense insieme con la Pontificia Università Gregoriana. È un Congresso importante per il tema che affronta e per le persone erudite, provenienti da varie Nazioni, che vi prendono parte. Nel rivolgere a ciascuno il mio cordiale saluto, ringrazio in particolare Mons. Rino Fisichella, Rettore Magnifico dell'Università Lateranense, e P. Gianfranco Ghirlanda, Rettore dell'Università Gregoriana, per le espressioni gentili con cui hanno interpretato i comuni sentimenti.

Ho apprezzato l'impegnativo tema sul quale avete concentrato la vostra attenzione. Negli ultimi anni, quando si è parlato di Pio XII, l'attenzione si è concentrata in modo eccessivo su una sola problematica, trattata per di più in maniera piuttosto unilaterale. A parte ogni altra considerazione, ciò ha impedito un approccio adeguato ad una figura di grande spessore storico-teologico qual è quella del Papa Pio XII. L'insieme della imponente attività svolta da questo Pontefice e, in modo del tutto speciale, il suo magistero sul quale vi siete soffermati in questi giorni, sono una prova eloquente di quanto ho appena affermato. Il suo magistero si qualifica infatti per la vasta e benefica *ampiezza*, come anche per la sua eccezionale *qualità*, così che può ben dirsi che esso costituisca una *preziosa eredità* di cui la Chiesa ha fatto e continua a fare tesoro.

Ho parlato di «vasta e benefica ampiezza» di questo magistero. Basti ricordare, al riguardo, le Encicliche e i moltissimi discorsi e radiomessaggi contenuti nei venti volumi dei suoi «Insegnamenti». Sono più di quaranta le

* Die 8 Novembris 2008.

Encicliche da lui pubblicate. Tra esse spicca la «*Mystici Corporis*», nella quale il Papa affronta il tema della vera ed intima natura della Chiesa. Con ampiezza di indagine egli mette in luce la nostra profonda unione ontologica con Cristo e – in Lui, per Lui e con Lui – con tutti gli altri fedeli animati dal suo Spirito, che si nutrono del suo Corpo e, trasformati in Lui, gli danno modo di continuare ed estendere nel mondo la sua opera salvifica. Intimamente connesse con la «*Mystici Corporis*» sono altre due Encicliche: la «*Divino afflante Spiritu*» sulla Sacra Scrittura e la «*Mediator Dei*» sulla sacra Liturgia, nelle quali vengono presentate le due sorgenti a cui devono sempre attingere coloro che appartengono a Cristo, Capo di quel mistico Corpo che è la Chiesa.

In questo contesto di ampio respiro Pio XII ha trattato delle varie categorie di persone che, per volere del Signore, fanno parte della Chiesa, pur con vocazioni e compiti differenziati: i sacerdoti, i religiosi ed i laici. Così egli ha emanato sagge norme sulla formazione dei *sacerdoti*, che si devono distinguere per l'amore personale a Cristo, la semplicità e la sobrietà di vita, la lealtà verso i loro Vescovi e la disponibilità verso coloro che sono affidati alle loro cure pastorali. Nell'Enciclica «*Sacra Virginitas*» poi e in altri documenti sulla *vita religiosa* Pio XII ha messo in chiara luce l'eccellenza del «dono» che Dio concede a certe persone invitandole a consacrarsi totalmente al servizio suo e del prossimo nella Chiesa. In tale prospettiva il Papa insiste fortemente sul ritorno al Vangelo ed all'autentico carisma dei Fondatori e delle Fondatrici dei vari Ordini e Congregazioni religiose, prospettando anche la necessità di alcune sane riforme. Numerose sono state poi le occasioni in cui Pio XII ha trattato della responsabilità dei *laici* nella Chiesa, profittando in particolare dei grandi Congressi internazionali dedicati a queste tematiche. Volentieri egli affrontava i problemi delle singole professioni, indicando, ad esempio, i doveri dei giudici, degli avvocati, degli operatori sociali, dei medici: a questi ultimi il Sommo Pontefice dedicò numerosi discorsi illustrando le norme deontologiche che essi devono rispettare nella loro attività. Nell'Enciclica «*Miranda prorsus*», poi, il Papa si soffermò sulla grande importanza dei moderni mezzi di comunicazione, che in modo sempre più incisivo andavano influenzando l'opinione pubblica. Proprio per questo il Sommo Pontefice, che valorizzò al massimo la nuova invenzione della Radio, sottolineava il dovere dei giornalisti di fornire informazioni veritiere e rispettose delle norme morali.

Anche alle scienze e agli straordinari progressi da esse compiuti Pio XII rivolse la sua attenzione. Pur ammirando le conquiste raggiunte in tali campi,

il Papa non mancava di mettere in guardia dai rischi che una ricerca non attenta ai valori morali poteva comportare. Basti un solo esempio: restò famoso il discorso da lui pronunciato sulla raggiunta scissione degli atomi; con straordinaria lungimiranza, però, il Papa ammoniva circa la necessità di impedire ad ogni costo che questi geniali progressi scientifici venissero utilizzati per la costruzione di armi micidiali che avrebbero potuto provocare catastrofi immani e perfino la totale distruzione dell'umanità. Come non ricordare poi i lunghi ed ispirati discorsi concernenti l'auspicato riordinamento della società civile, nazionale ed internazionale, per il quale egli indicava come fondamento imprescindibile la giustizia, vero presupposto per una convivenza pacifica fra i popoli: «*opus iustitiae pax!*». Ugualmente meritevole di speciale menzione è l'insegnamento mariologico di Pio XII, che ebbe il suo culmine nella proclamazione del dogma dell'Assunzione di Maria Santissima, per mezzo del quale il Santo Padre intendeva sottolineare la dimensione escatologica della nostra esistenza ed esaltare altresì la dignità della donna.

Che dire della *qualità* dell'insegnamento di Pio XII? Egli era contrario alle improvvisazioni: scriveva con la massima cura ogni discorso, soppesando ogni frase ed ogni parola prima di pronunciarla in pubblico. Studiava attentamente le varie questioni ed aveva l'abitudine di chiedere consiglio ad eminenti specialisti, quando si trattava di temi che richiedevano una competenza particolare. Per natura ed indole Pio XII era un uomo misurato e realista, alieno da facili ottimismi, ma era altresì immune dal pericolo di quel pessimismo che non si addice ad un credente. Aborriva le sterili polemiche ed era profondamente diffidente nei confronti del fanatismo e del sentimentalismo.

Questi suoi atteggiamenti interiori rendono ragione del valore e della profondità, come anche dell'affidabilità del suo insegnamento, e spiegano l'adesione fiduciosa ad esso riservata non solo dai fedeli, ma anche da tante persone non appartenenti alla Chiesa. Considerando la grande ampiezza e l'alta qualità del magistero di Pio XII, viene da chiedersi come egli sia riuscito a fare tanto, pur dovendo dedicarsi ai numerosi altri compiti connessi col suo ufficio di Sommo Pontefice: il governo quotidiano della Chiesa, le nomine e le visite dei Vescovi, le visite di Capi di Stato e di diplomatici, le innumerevoli udienze concesse a persone private ed a gruppi molto diversificati.

Tutti riconoscono a Pio XII un'intelligenza non comune, una memoria di ferro, una singolare dimestichezza con le lingue straniere ed una notevole sensibilità. Si è detto che egli era un diplomatico compito, un eminente giuri-

sta, un ottimo teologo. Tutto questo è vero, ma ciò non spiega tutto. Vi era altresì in lui il continuo sforzo e la ferma volontà di donare se stesso a Dio senza risparmio e senza riguardo per la sua salute cagionevole. Questo è stato il vero movente del suo comportamento: tutto nasceva dall'amore per il suo Signore Gesù Cristo e dall'amore per la Chiesa e per l'umanità. Egli infatti era innanzitutto il sacerdote in costante ed intima unione con Dio, il sacerdote che trovava la forza per il suo immane lavoro in lunghe soste di preghiera davanti al Santissimo Sacramento, in colloquio silenzioso con il suo Creatore e Redentore. Da lì traeva origine e slancio il suo magistero, come d'altronde ogni altra sua attività.

3. Catholica Ecclesia, cum moneat de principiis exhibeatque moralia iudicia ad investigationem biomedicam de vita humana apta, doctrinam suam haurit *de luce et rationis et fidei*, ita coadiuvans ut conficiatur hominis eiusque vocationis integra notio, quae suscipere valeat bonum universum, in lucem prodiens ex hominum operibus, necnon ex innumeris traditionibus humanum cultum et religionem spectantibus, quae non semel maximam exhibent observantiam erga vitam.

Ecclesiae Magisterium sibi proponit ergo vocem afferre cohortationis et fiduciae de prospectu culturali in quo *scientia habeatur ut magni pretii servi-*

[2] IOANNES PAULUS II, Litt. Enc. *Veritatis splendor* de quibusdam quaestionibus fundamentalibus doctrinae moralis Ecclesiae (6 Augusti 1993): *AAS* 85 (1993), 1133-1228.

[3] IOANNES PAULUS II, Litt. Enc. *Evangelium vitae* de vitae humanae inviolabili bono (25 Martii 1995): *AAS* 87 (1995), 401-522.

tium ad integrum bonum vitae et dignitatis uniuscuiusque humanae creaturae. Ecclesia igitur fiducialiter spectans ad scientificam inquisitionem, parte ex una precatur ut quam multi excitentur Christifideles dediti ad progressum biomedicinae suam testantes fidem in huiusmodi regione, ex altera autem parte ominatur praeterea quod fructus huius pervestigationis praesto sint quoque in plagis paupertate et morbis afflictis, ad obeundas urgentiores et tristissimas necessitates humanitaria spectata ratione, demum adesse studet personae cuique individuae laboranti corpore et spiritu ut praebeat non tantum solacium sed etiam lucem et spem, quae sensu implent etiam morbi tempora et mortis experientiam, utraque de facto hominis vitae coniuncta et eius historiam signantia, quam ad Resurrectionis mysterium adaperiunt. Ecclesiae etenim visus fiducia est plenus, quia « vita victura est: haec est nostra certa spes. Ita est. Vita victura est, quia vitae sociantur veritas, bonum, gaudium, progressus non mendax; potissimum vitae sociatur Deus, vitae amator et munificus largitor ».[4]

Destinatarii huius Instructionis sunt Christifideles et homines universi veritatem quaerentes;[5] eadem tribus partibus constat: quarum prima revocat quasdam rationes anthropologicas, theologicas et ethicas maximi momenti; altera autem novas quaestiones pertractat spectantes procreationem; tertia demum diiudicat de quibusdam recentioribus propositis therapeuticis embryonis vel hominis genetici patrimonii adulterationem foventibus.

PARS I:

DE HUMANA VITA ET PROCREATIONE ANTHROPOLOGICAE, THEOLOGICAE ET ETHICAE RATIONES

4. Decenniis praeteritis recentioribus scientiae medicae artis insigniter excoluerunt suas notiones de humana vita in primordiis eius existentiae. Quae eo pervenerunt ut melius agnoscerentur hominis structurae biologicae et processus eius generationis. Tales progressus certo cum sint praestantes merito adiuvandi sunt, si utiles evadant ad vincendas vel moderandas quas-

[4] Ioannes Paulus II, Allocutio ad sodales Pontificiae Academiae pro Vita (3 Martii 2001), 3: *AAS* 93 (2001), 446.

[5] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Fides et ratio* de necessitudinis natura inter utramque (14 Septembris 1998), 1: *AAS* 91 (1999), 5.

libet pathologias et insimul cooperentur ad restaurandam rectam processus cuiusque generationis evolutionem. Qui econtra sunt infitiandi et ideo suscipi a nobis nequeunt, si creaturarum humanarum necem implicent vel abutantur instrumentis laedentibus personae dignitatem vel demum adhibeantur ad fines contrarios quod attinet ad integrum hominis bonum.

Humanae cuiuslibet creaturae corpus, inde ab exordiis suae existentiae, numquam reduci potest ad summam cellularum suarum; nam embryonale corpus evolvitur per gradus iuxta « programma » certo statutum habens finem proprium, qui manifestatur in nativitate infantis cuiusque.

Expedit illico hic revocare *criterium ethicum fundamentale* proclamatum in Instructione *Donum vitae*, ad omnes quaestiones morales perpendendas, quae ponuntur in iis quae spectant interventus de humano embryone: « Fructus generationis humanae, inde a primo temporis momento quo exsistere incipit, hoc est a momento quo formatio zygoti inchoatur, absolutam illam exigit observantiam, quae ex lege morali homini debetur quoad totam suam rationem corporalem atque spiritualem. Creatura humana ut persona observanda atque tractanda est inde ab eius conceptione, ac propterea inde ab illo temporis momento ipsi agnoscenda sunt iura personae, quorum primum recensetur ius inviolabile ad vitam, quo unaquaeque creatura humana innocens gaudet ».[6]

5. Haec certa sententia, ethica nota suffulta, quamque veram et congruentem naturae legi morali potest ipsa ratio agnoscere, ponenda est cuiuslibet iuridici ordinis ut fundamentum;[7] nam fundatur in *veritate indolis ontologicae*, propter ea omnia quae Instructio de qua diximus, in lucem posuit, innixa et ipsa validis scientiae notionibus de evolutionis humanae creaturae constantia.

Licet Instructio *Donum vitae* non definivit embryonem esse personam, ne implicaretur expresse in sententiis indolis philosophicae, tamen animadvertit

[6] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, I, 1: *AAS* 80 (1988), 79.

[7] Ut ad mentem revocavit Benedictus XVI, hominis iura, potissimum autem ius ad vitam hominis cuiusque, « naturae lege innititur in corde hominis insculpta et vigente in universis culturis et humanis cultibus; quae si amoveas ab hoc contextu eorum ambitum perstrinxeris et relativisticae cesseris doctrinae, docenti sensum et interpretationem iurium mutare eorumque universalitatem negari posse ratione habita diversitatis contextus culturalis, politici, socialis, quinimmo et religiosi. Neque porro concedendum est ut lata haec rationum subiectivarum varietas obscurare audeat illam certitudinem, qua docetur universalia esse non solum iura sed talem quoque esse hominem ipsum, horum iurium subiectum » (Allocutio ad Unitarum Nationum Generalem Coetum, 18 Aprilis 2008: *AAS* 100 [2008], 334).

interesse nexum intrinsecum inter rationem ontologicam et valorem specificum humanae cuiusque creaturae. Quod si spiritualis animae praesentia nequeat perstringi per cuiuspiam dati exsperimentalis considerationem, exstant tamen scientiae conclusiones ipsae de embryone humano, quae « pretiosa suppeditant elementa, ex quibus rationis ope dignosci potest personam iam adesse praesentem inde ab hac prima vitae humanae significatione: cur igitur vivens creatura humana non esset etiam persona humana? ».[8] Etenim realis creaturae humanae substantia per totum suae vitae decursum, ante et post nativitatem, vetat affirmari posse sive quod eius natura mutaverit sive quod moralis eius praestantia per gradus transierit, cum referta sit *plena idoneitatis assumptione et anthropologica et ethica*. Humanus embryon ergo, inde ab exordiis, personae nativa dignitate fruitur.

6. Huius dignitatis observantia humanae cuique creaturae debetur, quia in se indelebili ratione impressam gerit suam dignitatem una cum suipsius praestantiam. *Vitae humanae ortus*, praeterea, *authenticum habet contextum in matrimonio et in familia*, in qua procreatur per actum qui amorem exprimit mutuum viri et mulieris; igitur « dicendum est procreationem vere consciam erga nasciturum e solo matrimonio oriri posse ».[9]

Matrimonium, quod omnibus in temporibus omnibusque in culturis est celebratum, « sapienter providenterque Creator Deus ea mente » instituit, « ut in hominibus suum amoris consilium efficeret. Quocirca per mutuam sui donationem, quae ipsorum propria est et exclusoria, coniuges illam persequuntur personarum communionem, qua se invicem perficiant, ut ad novorum viventium procreationem et educationem cum Deo operam socient ».[10] Per amoris coniugalis fecunditatem vir et mulier « manifestant in origine suae vitae sponsalis esse germanum assensum, proclamatum et revera ad actum deductum in reciprocitate, qui semper manet apertus ad vitam... Lex naturalis, qua innititur agnitio verae paritatis inter personas et gentes, digna est quae habeatur fons ad quem conformetur quoque necessitudo inter coniuges cum conscienter novos filios generant. Vitae transmissio insculpta est in ipsa natura eiusque leges manent ut praecepta non scripta, quae ab omnibus revocanda sunt ».[11]

[8] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, I, 1: *AAS* 80 (1988), 78-79.

[9] *Ibid.*, II, A, 1: *l.c.*, 87.

[10] Paulus VI, Litt. Enc. *Humanae vitae* (25 Iulii 1968), 8: *AAS* 60 (1968), 485-486.

[11] Benedictus XVI, Allocutio ad Coetum internationalis Congressus a Pontificia Universitate Lateranensi convocati, quadragesimo expleto anno Litterarum Encyclicarum *Humanae*

7. Ecclesia firmum habet quod humanum quidlibet sapiat non solum accipitur et observatur a *fide*, sed ab ea ultro mundatur, extollitur et perficitur. Deus, cum hominem ad imaginem et similitudinem suam creavisset (cfr *Gn* 1, 26), hanc ipsam creaturam existimavit appellavitque « valde bonam » (*Gn* 1, 31), eandemque postea in Filio assumpsit (cfr *Io* 1, 14); qui Dei Filius in Incarnationis mysterio corporis et animae confirmavit dignitatem, quibus humana constituitur creatura. Neque Christus humanam fugit corporeitatem, quin plene revelaverit eius significationem et praestantiam: « Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit ».[12]

Dei Filius, unus ex nobis factus, donat ut et nos efficiamur « filii Dei » (*Gv* 1, 12), « divinae consortes naturae » (*2 Pe* 1, 4). Quae nova qualitas minime opponitur dignitati creaturae, quae per rationem agnosci potest ab hominibus cunctis, sed eam extollit ad latiorem vitae provinciam, quae est vita Dei ipsius, et ditat facultate congruentius meditandi de vita humana deque actibus quae eam ad existentiam vocant.[13]

Sub lumine istorum fidei datorum, luculentius apparet atque maiorem vim acquirit observantia erga humanam creaturam individuam, quam ratio postulat, ut nulla intersit contradictio inter utramque sententiam, alteram affirmantem dignitatem et alteram sacralitatem humanae vitae. « Rationes multiplices, quibus Deus in historia hominem mundumque curat, non modo inter se non repugnant, sed contra mutuo sustentantur et penetrantur. Omnes autem oriuntur ex sapienti et benevolo proposito et ad idem redeunt, quo Deus homines praedestinavit "conformes fieri imagini Filii eius" (*Rom* 8, 29) ».[14]

8. Dehinc ab huiusmodi summa alterutriusque rationis, *humanae scilicet et divinae*, melius intellegitur cur inviolabile sit hominis magnum pretium, *qui aeterna fruitur vocatione* et *ad participandum vocatur amorem trinitarium Dei viventis*.

Hoc magnum pretium hic cunctis hominibus sine discrimine applicatur, quia, ex eo quod exsistit, humana quaeque creatura plene observanda est, quinimmo quaelibet seponenda est introductio criteriorum discriminantium, quoad dignitatem, ex progressu biologico, psychico, culturali vel ex salutis

vitae (10 Maii 2008): *L'Osservatore Romano*, 11 Maii 2008, 1; cfr Ioannes XXIII, Litt. Enc. *Mater et magistra* (15 Maii 1961), III: *AAS* 53 (1961), 447.

[12] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 22.

[13] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae* (25 Martii 1995), 37-38: *AAS* 87 (1995), 442-444.

[14] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 45: *AAS* 85 (1993), 1169.

condicione manantium. In homine, ad Dei imaginem creato, repercutitur gradu in omni suae exsistentiae, « vultus Filii eius Unigeniti... Talis Dei amor infinitus et quasi arcanus erga homines revelat quantum persona humana sit digna amoris per se ipsam, nulla alia consideratione interveniente – de intellectu, pulchritudine, valetudine, iuventute, integritate etc. In summa, vita humana semper bonum est, quia "coram mundo Dei manifestatio exstat, signum eius praesentiae, vestigium gloriae eius" (*Evangelium vitae*, 34) ».[15]

9. Haec utraque vitae ratio, naturalis scilicet et supernaturalis, efficit quoque ut melius intellegatur quo sensu *actus quibus humanae creaturae datur ut ad exsistentiam vocetur* et quibus vir et mulier mutua donatione alterutri conceduntur, *repercussio sint amoris trinitarii*. « Deus, qui amor et vita est, viro ac mulieri vocationem indidit ad participandum speciali modo suum mysterium personalis communionis suumque opus Creatoris et Patris ».[16]

Christianum matrimonium « in completiva ratione naturali radicitus insidet, quae inter virum et mulierem viget atque ipsorum coniugum alitur proposito totum participandi de vita consilium, id videlicet quod habent et quod sunt: haec igitur communio fructus est et signum postulationis penitus humanae. Sed in Christo Domino Deus hanc humanam suscipit postulationem, eam confirmat, purificat, effert, eam perficit matrimonii sacramento: Spiritus Sanctus in sacramentalem celebrationem effusus christianis coniugibus largitur donum novae communionis, amoris, quae viva realisque est imago illius eximiae unitatis, quae efficit Ecclesiam indivisibile Corpus mysticum Domini Iesu ».[17]

10. Ecclesia, de ethica valentia iudicium ferens, circa quosdam exitus recentiorum inquisitionum medicinae artis hominem spectantium eiusque originem, minime irrumpit in ambitum scientiae medicae qua talis, sed enixe hortatur eos quibus spectat ne parvipendant suarum actionum ethicam et socialem responsabilitatem, eisdemque commemorans quod ethicus scientiarum biomedicarum valor aestimatur ex facta mentione tum *observantiae absolutae humanae cuique creaturae debitae*, omnibus momentis eius existentiae,

[15] Benedictus XVI, Allocutio ad Generalem Coetum Pontificiae Academiae pro Vita tuenda et ad Congressum Internationalem « Humanus embryon in primordiis praeimplantationis » (27 Februarii 2006): *AAS* 98 (2006), 264.

[16] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, Introductio, 3: *AAS* 80 (1988), 75.

[17] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio*, de familiae christianae muneribus in mundo huius temporis (22 Novembris 1981), 19: *AAS* 74 (1982), 101-102.

tum *tutelae peculiaritatis actuum personalium vitam procreantium*. Interventus Ecclesiae Magisterii non evadit fines suae missionis *promovendi formationem conscientiarum*, authentice veritatem enuntians, quae Christus ipse est, et insimul declarans atque authentice, auctoritate qua pollet, ordinis moralis principia confirmans, ex ipsa humana natura profluentia.[18]

PARS II:
NOVAE QUAESTIONES DE PROCREATIONE

11. Spectatis principiis supra memoratis oportet nunc diiudicare de quibusdam quaestionibus procreationem spectantibus, quae in lucem prodierunt et clariore forma ditatae sunt in annis post publici iuris factam Instructionem *Donum vitae*.

Technicae methodi adiuvantes fertilitatem

12. Quoad *curam infertilitatis*, novae artes technicae medicinae debent observare tria fundamentalia bona: a) ius ad vitam et ad physicam integritatem humanae cuiusque creaturae inde a conceptione usque ad mortem naturalem; b) matrimonii unitatem, quae secumfert mutuam observantiam coniugum iuris, ut pater et mater fieri valeant solummodo alter per alterum;[19] c) sexualitatis valores potissimum humanos, qui « poscunt ut humanae personae procreatio habeatur veluti fructus actus coniugalis, qui est nota propria mutui coniugum amoris ».[20] Interventus technici, qui adiutorio sunt procreationi « quatenus artificiosi, respuendi non sunt. Qua tales testantur quid valeat ars medica; at eorum moralis aestimatio referatur oportet ad dignitatem humanae personae, cuius est perficere divinam sibi inditam vocationem ad donum amoris atque ad donum vitae ».[21]

Sub lumine huiusmodi criterii nequeunt omnino adhiberi technicae quaeque artes fecundationis artificiosae heterologae[22] necnon technicae artes fe-

[18] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decl. *Dignitatis humanae*, 14.

[19] Cfr Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, II, A, 1: *AAS* 80 (1988), 87.

[20] *Ibid.* II, B, 4: *l.c.*, 92.

[21] *Ibid.*, Introductio, 3: *l.c.*, 75.

[22] Fecundationis seu procreationis artificiosae heterologae nomine hic intelleguntur technicae rationes eo spectantes, ut humanus conceptus artificiose habeatur, per concursum gametum, qui saltem ex una parte e donante proveniant qui sit diversus a coniugibus (cfr *ibid.*, II: *l.c.*, 86).

cundationis artificiosae homologae[23] actum coniugalem subrogantes. Permittuntur econtra technicae artes, quae speciem habeant *auxilii ad actum coniugalem rite explendum atque ad eiusdem fecunditatem*. Instructio *Donum vitae* ita docet: « Medicus munere fungitur deserviendi bono personarum et humanae procreationi; quoad haec, ille nec disponendi nec decernendi potestatem habet. Medicus interventus tunc personarum dignitatem tuetur, cum actum coniugalem adiuvare studet, sive ut facilius expleatur, sive ut idem, iam rite expletus, finem suum assequi possit ».[24] Atque item de inseminatione artificiosa homologa, docet: « seminatio artificialis homologa intra ambitum matrimonii admitti nequit, excepto casu in quo apparatus technicus non sit substitutivus actus coniugalis, sed se praebeat ut adiumentum ad naturalem eius finem facilius assequendum ».[25]

13. Licite procul dubio adhiberi possunt interventus apti ad removenda fertilitatis naturalis impedimenta, ut sunt, exempli gratia, cura hormonalis infertilitatis quae oriatur a gonadibus, cura chirurgica endometriosis, tubarum obstructionis sanatio, vel microchirurgica tubarum pervietatis restauratio. Omnes huiusmodi technicae artes haberi possunt *germanae therapiae*, quatenus, amotis impedimentis quae prima causa fuerint infertilitatis, coniuges actus ponere possint cum felici procreationis exitu, quin medico directe interveniendum sit in ipso coniugali actu; etenim harum technicarum rationum nulla surrogat coniugalem actum, qui unus exstat dignus procreationis plene consciae.

Ut nonnullorum desiderio praeterea coniugum sterilium subveniatur, ardenter filium affectantium, optandum est ut foveatur, promoveatur et facilior reddatur, opportunis legibus, *ratio de adoptione* innumerorum exstantium puerorum orphanorum, qui domestica domo indigent, ad aptam suam assequendam humanam evolutionem. Demum declarandum est quod cohortatione fovendi sunt quotquot inquirant et opes impendant ad *sterilitatem praecavendam* aptas.

[23] Fecundationis seu procreationis artificiosae homologae nomine hic intelleguntur technicae rationes eo spectantes, ut humanus conceptus habeatur per gameta coniugum matrimonio adstrictorum (cfr *ibid.*).

[24] *Ibid.*, II, B, 7: *l.c.*, 96; cfr Pius XII, Allocutio participantibus conventus internationalis quarti medicorum catholicorum (29 Septembris 1949): *AAS* 41 (1949), 560.

[25] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, II, B, 6: *l.c.*, 94.

Fecundatio in vitro et voluntaria embryonum exstinctio

14. Quod fecundatio *in vitro* secumferat non raro suppressionem voluntariam embryonum, iam in lucem posuit Instructio *Donum vitae*.[26] Nonnulli credebant hoc accidere potuisse technicae artis causa nondum ex toto perfectae. Posteriora experimenta econtra in lucem posuerunt cunctas has fecundationis *in vitro* technicas methodos adhiberi de facto veluti si humanus embryon alius non esset ac mera caterva cellularum, quae adhibentur, seliguntur et eliminantur.

In aperto tamen est tertiam partem mulierum procreatione artificiosa utentium eo quidem pervenire ut puerum gestent. At infitiandum non est quod si consideretur numeri ratio inter summam embryonum procreatorum et summam effective natorum, *numerum embryonum exstinctorum maximum esse*.[27] Quas iacturas scientiarum periti fecundationis technicarum artium *in vitro* diiudicant veluti pretium solvendum ad exitus habendos prosperos. Revera autem maximam anxietatem ingerit quod investigatio hac in regione tendat potissimum ad meliores exitus habendos centesima habita ratione inter numerum puerorum natorum et mulieres quae curam inierint, quin videatur sua revera interesse de iure uniuscuiusque embryonis ad vitam.

15. Saepe obiciunt tales embryonum iacturas esse maxima ex parte praeterintentionales, quinimmo vel evenire contra parentum medicorumque voluntatem; affirmant quoque de periculis agi non longe aliis ac conexis cum generationis processu naturali; et velle demum vitam communicare omnibus amotis periculis idem revera necessario efferre ac abstineri ab eius transmissione. Verum patet non omnes embryonum iacturas in ambitu procreationis *in vitro* eandem necessitudinem habere ad voluntatem eorum quorum interest, tamen non est infitiandum quoque quod multis in casibus derelictio, exstinctio vel iacturae embryonum sint quid praevisum ac volitum.

Etenim embryones creati *in vitro* qui defectus exhibeant statim directe seponuntur et in dies frequentiores sunt casus in quibus coniuges non steriles utuntur technicis artibus procreationis artificiosae hoc uno intentu ut operari possint selectionem geneticam suorum filiorum. Iam multis in nationibus mulieris cycli stimulatio praxis facta est communis ad magnum numerum obtinendum ovocytorum, qui fecundantur. Ex embryonibus creatis certus

[26] Cfr *ibid.*, II: *l.c.*, 86.

[27] Hodie, in maioribus quoque fecundationis artificiosae institutis, numerus embryonum qui supprimuntur fere enumerantur supra octoginta centesimas partes.

numerus transfertur in matris uterum, cum ceteri congelantur ad futuros, si dentur, interventus reproductionis. Finis huius translationis multiplicis est certam facere, quantum fieri potest, implantationem saltem unius embryonis. Ad hunc finem obtinendum adhibetur, ut instrumentum, embryonum quantitatis usurpatio maioris quam pro filio optato, cum praevideatur quosdam certo perditum iri et, quomodocumque erit, multiplicem gestationem impediendam esse. Ita ars technica translationis multiplicis secumfert *tractationem mere instrumentalem embryonum*. Dolendum est quod nusquam quolibet alio in ambitu communis medicinae deontologia professionalis et moderatores qui sanitati praesunt consensuri essent ut adhiberetur technica ars secumlatura rationem globalem tam magnam infaustorum et fatalium exituum. Verum technicae artes fecundationis *in vitro* diffunduntur, quia postulatur et creditur embryoni non deberi plenam observantiam, propterea quod aemulatur et opponitur cuidam desiderio satisfaciendo.

Quae infelix rerum condicio, de qua saepe siletur, vehementer ex toto deploranda est, quia «diversi similiter *modi generationis artificiosae*, qui ministerio vitae servire videntur quique crebrius hac ex mente adhibentur, viam revera ad novas vitae violationes sternunt».[28]

16. Ecclesia praeterea docet, ethica spectata ratione, non licere *dissociationem procreationis a coniugalis actus contextu ex toto personali*:[29] humana procreatio etenim actus exstat personalis coniugum, viri et mulieris, qui nullum substitutivae adlegationis genus perpetitur. Acceptatio acritica huiusmodi maximae rationis abortivitatis, quod attinet ad artes technicas fecundationis *in vitro*, eloquenter declarat quod substitutio actus coniugalis per processum technicum – ut sileamus de eius repugnantia ad observantiam praestandam procreationi debitam, quae reduci nequit uni momento reproductivo – multum confert ad debilitandam conscientiam observantiae, quae humanae cuique creaturae debetur. Huiusmodi observantiae conscientia econtra fovetur per intimam coniugum coniunctionem amore coniugali vivificatam.

[28] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 14: *AAS* 87 (1995), 416.

[29] Cfr Pius XII, Allocutio iis qui interfuerunt Conventui universali de fecunditate et sterilitate humana (19 Maii 1956): *AAS* 48 (1956), 470; Paulus VI, Litt. Enc. *Humanae vitae*, 12: *AAS* 60 (1968), 488-489; Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, II, B, 4-5: *AAS* 80 (1988), 90-94.

Ecclesia animadvertit legitimum esse desiderium procreandorum filiorum, et percipit dolorem coniugum qui affliguntur infertilitatis difficultatibus. Tale desiderium tamen nequit tantum anteponi dignitati humanae cuiuslibet vitae, ut eidem dominari praesumat; neque tale filii desiderium habendi « productionem » eius excusat, sicuti desiderium filium recusandi iam conceptum excusare non valet eius derelictionem vel exstinctionem.

Revera nonnulli animadvertunt quod quidam homines concrediti inquisitioni scientificae, carentes autem quacumque ratione ethica et conscii qui sint de potentialitatibus insitis in progressu technologico, cedere quasi videantur logicae uni rationi subiectivorum desideriorum[30] et oeconomicae pressioni, quae fortiter dominatur hac in regione. Cum igitur exstent qui abutantur humana creatura in suo statu embryonali, declarandum est « amorem Dei nulla frui differentia inter novum conceptum adhuc in sinu matris suae et infantem, vel iuvenem, vel virum maturitatem qui est consecutus, vel senem. Nulla differentia Ipse fruitur quia in quolibet homine signum respicit imaginis et similitudinis suae... Propterea Ecclesiae Magisterium numquam proclamare destitit characterem sacrum et inviolabilem cuiusque vitae humanae inesse, ab eius conceptione usque ad finem naturalem ».[31]

De iniectione seminis intra cytoplasma (ICSI)

17. Inter technicas artificiosae fecundationis methodos recentiores peculiare pondus in dies obtinuit quae dicitur iniectio seminis intra cytoplasma, vulgo *Intra Cytoplasmic Sperm Injection*.[32] Huiusmodi ICSI methodus facta est technica ars longe frequentior ad optimam exitus efficaciam habendam, quae vincere possit varias viri sterilitatis species.[33]

[30] Crescit in dies numerus hominum, etiam vinculo coniugali non adstrictorum, qui utuntur technicis instrumentis artificialis fecundationis ad filium generandum. Huiusmodi methodi debilitant institutionem matrimonii filiosque crescendos inducunt in ambitibus minime foventibus eorum perfectam hominum evolutionem.

[31] Benedictus XVI, Allocutio ad Generalem Coetum Pontificiae Academiae pro Vita tuenda et ad Congressum Internationalem « Humanus embryon in primordiis praeimplantationis » (27 Februarii 2006): *AAS* 98 (2006), 264.

[32] Fecundatio per iniectionem spermae intra cytoplasmam, vulgo *Intra Cytoplasmic Sperm Injection (ICSI)*, similis fere in toto est ceteris fecundationis *in vitro* generibus, a quibus tamen differt quia fecundatio non fit sponte *in vitro*, sed per iniectionem unius spermatozoi antea selecti intra ovocyti cytoplasmam et, interdum, per iniectionem elementorum lineae germinalis viri quae ad maturitatem nondum pervenerunt.

[33] De hac re tamen notandum est quod homines scientiarum periti disputant de quibusdam periculis, quae huiusmodi ICSI afferre possit ad concepti valetudinem.

Ut evenit per fecundationem *in vitro*, cuius est variatio, ICSI est technica methodus intrinsece illicita, cum secumferat *totalem dissociationem inter procreationem et coniugalem actum*. Etenim methodus ICSI quoque «ad actum deducitur extra coniugum corpus, opera aliorum, a quorum scientia atque technica arte prosper exitus interventus dependet; eadem vitam identitatemque embryonum humanorum in potestatem redegit medicorum atque biologorum, sicque rei technicae dominatum quendam in personae humanae originem et sortem instaurat. Huiusmodi dominatus suapte natura contradicit dignitati et aequalitati, quae parentibus et filiis communes esse debent. Conceptio *in vitro* est effectus actionis technicae, per quem evenit fecundatio; ea autem neque revera obtinetur, neque consulto appetitur tamquam manifestatio ac fructus actus qui est proprius coniunctionis coniugalis».[34]

Embryonum congelatio

18. Inter methodos adhibitas ad augendum prosperi exitus numerum in technicis artibus procreationis *in vitro*, annumeratur multiplicatio plurium tractationum in consequentia. Ne iterentur deductiones ovocytorum ex muliere, proceditur ad unam plurimam ovocytorum deductionem, cui consequitur cryoconservatio partis eximiae embryonum qui producti sunt *in vitro*,[35] ut postea adhiberi possint in altero cyclo, si prior non prosperos habuerit exitus, vel si parentes aliam gestationem habere optaverint. Interdum proceditur ad congelationem embryonum quoque, qui priori translationi destinati erant, quia hormonum stimulatio in cyclo mulieris secumfert effectus, qui suadent quandam moram interponere, ut ad normam redigi possint mulieris condiciones physiologicae, antequam procedendum sit ad translationem embryonum in matris gremium.

Cryoconservatio *componi nequit cum observantia quae debetur humanis embryonibus*, primum quia nititur eorum productione *in vitro*, deinde quia eos graviter exponit periculis mortis vel damni, quod attinet ad physicam integritatem, cum centesima maior pars minime supersit processui congelationis et decongelationis; orbat praeterea, saltem ad tempus, materno hospitio et gestatione; exponit demum condicioni ultro suscipiendi offensas et adulterationes.[36]

[34] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, II, B, 5: *AAS* 80 (1988), 93.

[35] Cryoconservatio, ad embryones quod attinet, est processus refrigerationis per imas temperaturas ut provideatur eorum diuturnae conservationi.

[36] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, I, 6: *AAS* 80 (1988), 84-85.

Maior etenim pars embryonum qui illico non adhibentur, « orbati » manent, eosque parentes minime requirunt, quorum quinimmo interdum et vestigia amittuntur, ut declaratur per existentiam in repositoriis tot milium et milium embryonum congelatorum, in fere omnibus nationibus ubi fecundatio *in vitro* usurpatur.

19. Circa magnum numerum *embryonum congelatorum, qui iam ad vitam vocati sunt*, quaeritur quid de his faciendum sit. Nonnulli talem quaestionem sibi proponunt quin intellegant ethicum momentum, unice impulsi necessitate legis servandae, quae praecipit ut vacuefiant post certum tempus cryoconservationis sedium repositoria, quae denuo postea repletura sint. Alii autem sibi conscii sunt de gravi iniustitiae vulnere patrato et sibi quaerunt quomodo possint reparandi officio obire.

Certo recipi nullo modo possunt proposita *adhibendi huiusmodi embryones ad pervestigationis fines vel ad therapeuticos usus*, quia subest aestimatio de embryonibus tamquam de mera « materia biologica » et eorum secumferunt exstinctionem. Nec, insuper, admitti potest consilium huiusmodi embryones decongelandi *absque eorum reactivatione ad fruendum utendumque de iisdem ad instar cadaverum*.[37]

Propositum quoque eos suppeditandi coniugibus infertilitate laborantibus, tamquam « *therapiam infertilitatis* », illicita est, ratione ethica spectata, propter easdem rationes quae illicitam faciunt et procreationem artificiosam heterologam et quamlibet formam maternitatis surrogatae;[38] quae methodus praeterea secumfert innumeras alias difficultates generis medici, psychologici et iuridici.

Consilium praeterea a quibusdam in medio est positum, ad unum finem opportunitatis nascendi dandae creaturis humanis, quae sin aliter certo exstincturae essent, quandam instaurandi formam « *adoptionis praenatalis* ». Huiusmodi propositum, dignum quod laudetur propter intentionem observandi et defendendi humanam vitam, secumfert tamen varias difficultates, non alias ac supra enumeratas.

Oportet in summa declarare quod tot milia et milia embryonum in statu derelictionis talem definiunt *condicionem iniustitiae de facto irreparabilis*, ut Ioannes Paulus II appellaverit « ad conscientiam auctoritatum orbis scientiarum, potissimum autem medicis, ut mora detur quod attinet ad creationem

[37] Cfr nn. 34-35 praesentis Instructionis.

[38] Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instr. *Donum vitae*, II, A, 1-3: *l.c.*, 87-89.

humanorum embryonum, considerans nullam viam patere quae sit absque delicto de humana destinatione tot milium et milium embryonum « congelatorum », qui sunt et manent semper adhuc titulares iurium fundamentalium et ideo qui sunt iuridice tuendi utpote humanae personae ».[39]

Ovocytorum congelatio

20. Ad superandas graves quaestiones ethicas quas ponit cryoconservatio embryonum, in medio positum est quoque, in ambitu technicarum artium fecundationis *in vitro*, propositum congelandi ovocyta,[40] ut ubi primum congruus numerus ovocytorum deductus fuerit in praevisione variorum cyclorum artificiosae procreationis, statui possint fecundanda esse tantum ovocyta, quae translatura sint in matrem, ceteris congelatis, ut si casus ferat, eadem fecundari et transferri possint si prior conatus non prosper evaserit.

De qua re oportet declarare quod *cryoconservatio ovocytorum, ut processui artificiosae procreationis inserviant, reicienda est utpote morali existimationi contraria*.

Reductio embryonalis

21. Quaedam methodi technicae artis, quae adhibentur in artificiosa procreatione, potissimum translatio plurium embryonum in matris uterum, secumtulerunt incrementum non parvum, quod attinet ad centesimam rationem gestationum multiplicium. Propterea in mentem invexit ratio procedendi ad reductionem embryonalem quam dicunt, quae consistit in chirurgica operatione, apta ad minuendum numerum embryonum vel fetuum qui exstant in gremio matris per directam eorundem exstinctionem. Quae resolutio exstinguendi humanas creaturas, paulo ante vehementer desideratas, exstat veluti quoddam paradoxum et secumfert saepe dolores et culpae sensum, qui per plurimos annos permanere possunt.

Doctrinam ethicam quod spectat, *reductio embryonalis appellandus est abortus voluntarius selectivus*. Agitur enim de deliberata ac directa suppres-

[39] Ioannes Paulus II, Allocutio ad quosdam iuris peritos coram admissos Symposii participes « Evangelium vitae atque ius » et XI Colloquii internationalis romanistici canonistici (24 Martii 1996), 6: *AAS* 88 (1996), 943-944.

[40] Cryoconservatio ovocytorum proposita est quoque aliis in contextibus, de quibus hic non agitur. Ovocyti nomine appellatur cellula germinalis mulieris nondum penetrata a spermatozoo.

sione unius vel plurium creaturarum humanarum innocentium in exordiis exsistentiae, et qua talis semper graviter contradicit ordini morali.[41]

Argumenta quae adducuntur ad ethice reductionem embryonalem iustificandam innituntur saepe analogicis rationibus de naturae calamitatibus vel condicionum necessitatibus, in quibus, salva bona uniuscuiusque voluntate, impossibile evadit cunctis salutem ministrare in periculo versantibus. At huiusmodi analogicae rationes nullo modo morale iudicium positivum fundare possunt in actu directe abortivo. Nonnumquam principia revocantur moralia, ut sunt principia de male minore vel de duplici effectu, quae hoc in loco minime valent; etenim numquam licet ad actum deducere opus intrinsece illicitum, ut bonum quoddam eveniat, cum *finis minime iustificare possit media.*

Diagnosis prae-implantatoria

22. Diagnosis prae-implantatoria forma quaedam est diagnosis praenatalis, stricte cum technicis artibus artificiosae fecundationis coniuncta, qua providetur ut fiat diagnosis genetica embryonum creatorum *in vitro*, antequam transferantur in gremium matris; quae *ad eum finem adhibetur ut certitudo obtineatur transferendi in matrem tantum embryones qui defectibus careant vel sint dati sexus vel certis qualitatibus peculiaribus praediti*.

Secus ac evenit in aliis formis diagnosis praenatalis, in quibus gradus diagnosticus apparet rite seiunctus a gradu, si casus ferat, exstinctionis et in cuius ambitu coniuges libertate fruuntur puerum suscipiendi morbo affectum, diagnosis prae-implantatoria econtra secumfert fere semper suppressionem embryonis, qui habeatur « suspectus » per defectus geneticos vel chromosomicos, aut habeat alium sexum ac volitum vel qualitates non desideratas. Diagnosis prae-implantatoria – quae semper conectitur cum artificiosa fecundatione, quae procul dubio ex se intrinsece est illicita – eum habet finem verum ut fiat *selectio qualitativa cum consequenti exstinctione embryonum*, quae nonnisi actio abortiva praecox dici potest. Diagnosis prae-implantatoria ergo illi sententiae seu *menti eugeneticae* subicitur, « quae abortum selectionis accipit ne fetus enascantur variis deformitatum generibus adfecti. Turpis autem est talis mens maximeque improbanda, quoniam vitae cuiusdam uti-

[41] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 51; Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 62: *AAS* 87 (1995), 472.

litatem metiri dumtaxat ex "normalitatis" regulis audet atque corporis valetudine, dum viam simul in lege reserat ad infanticidii et euthanasiae approbationem ».[42]

Qui de humano embryone tractat veluti sit mera « materia ergasterii », operatur *alterationem quoque et discrimen, quod attinet ad notionem ipsam dignitatis humanae.* Dignitas haec propria est ex aequo cuiusque humanae creaturae neque pendet a parentum coepto consilio, neque a sociali condicione, neque a culturali institutione, neque a gradu physicae evolutionis. Quodsi aliis in temporibus, licet in genere susciperentur notio et postulationes humanae dignitatis, discrimen tamen nonnulli operabantur ob stirpem, religionem vel socialem condicionem, hodie in medio est non minus grave et iniustum discrimen, cum sint qui negent statutum ethicum iuridicumque agnoscendum esse de creaturis humanis variis morbis deformitatumque generibus adfectis; ita a memoria removetur personas morbo adfectas et deformitatum generibus gravatas minime esse quoddam genus seiunctum a societate civili, quippe quod morbi et deformitates condicionem humanam participent et omnium hominum primas partes spectent, tunc etiam cum directe ipsi eadem minime experiantur. Tale discrimen immorale est itaque omnibus est habendum ut iuridice repugnans, eadem ratione ac removenda sunt impedimenta culturalia, oeconomica et socialia, quae minantur huiusmodi plenae agnitioni et tutelae personarum quae sint invaliditati obnoxiae et morbo affectae.

Recentiores formae interceptionis et contragestationis

23. Praeter anticonceptionalia subsidia propria appellatione fruentia, quae conceptionem impediunt post actum sexualem, exstant alia subsidia quae operantur post fecundationem, cum embryon iam est constitutus, ante vel post eius implantationem in utero. Quae artes technicae habentur *interceptivae*, si antea occidunt embryonem quam implantari possit in utero matris, et *contragestativae*, si embryonis exstinctionem provocant vix implantati.

Ad fovendam diffusionem instrumentorum interceptivorum,[43] interdum quidam dicunt eorum modum operandi quod spectat non satis esse cognitum. Reapse infitiandum non est quod in promptu non semper habetur perfectam,

[42] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 63: *AAS* 87 (1995), 473.

[43] Vulgatiora instrumenta interceptiva exstant spiralis quam appellant vel *intra uterum dispositivum* (IUD) et quae dicitur « pillula diei sequentis »

variorum pharmacorum quae adhibentur, cognitionem de mechanica operandi ratione, sed pervestigationes experimentales confirmant *effectum impediendae implantantionis certo inesse*, licet ex hoc non sequatur quod interceptiva subsidia abortum foveant quotiescumque sumuntur, cum omnes noverint non semper post sexualem congressum sequi fecundationem. Monendum est tamen adesse fere semper abortivam mentem voluntariam in eo qui impedire intendat embryonis implantationem, si casus ferat, iam concepti, et ideo quaerat vel ordinet ut sumantur huiusmodi pharmaca.

Mora menstrualis si certo supervenerit, interdum decurritur ad contragestationem,[44] quae adhibetur ex more infra unam vel duo hebdomadas post agnitam moram. Cuius finem esse conclamant menstruationem iterum provocare, attamen reapse nonnisi de *abortu embryonis agitur vix nidificati*.

Ut omnes noverunt, abortus procuratus «*quacumque peragitur via, deliberata est ac directa hominis occisio primordiali eius vitae tempore quod inter conceptionem decurrit et parturitionem*».[45] Igitur usus instrumentorum interceptionis et contragestationis annoverandus est inter *crimina abortus*, quod est peccatum gravissimum contra legem moralem; quodsi praeterea acquisita erit certitudo de abortu secuto, iuxta Canonicum ius mulctandum est poenalibus consectariis.[46]

PARS III:

NOVA THERAPEUTICA PROPOSITA IMPLICANTIA ADULTERATIONEM EMBRYONIS VEL GENETICI HUMANI PATRIMONII

24. Cognitiones recentioribus adquisitae annis novas induxerunt spes et medicinae regenerativae et therapiae morborum genetica spectata ratione. Praesertim magnam spem induxit *inquisitio de cellulis staminalibus embryonis*

[44] Vulgatiora instrumenta antigestatoria exstant pillula RU 486, quae dicitur, vel abortivum Mifepristone, ut vocant, necnon series prostaglandinum et quod vocatur Methotrexate.

[45] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 58: *AAS* 87 (1995), 467.

[46] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 1398 et *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1450 § 2; cfr quoque *Codex Iuris Canonici*, cann. 1323-1324. Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici authentice interpretando, quaestioni: «utrum abortus, de quo in can. 1398, intellegatur tantum de eiectione fetus immaturi, an etiam de eiusdem fetus occisione quocumque modo et quocumque tempore a momento conceptionis procuretur», negative respondit ad primam partem; affirmative vero ad secundam (Responsio ad II dubium [23 Maii 1988]: *AAS* 80 [1988], 1818).

deque futuris usibus concretis, qui oriri forsan possunt in therapeutica arte, quique tamen nullam adhuc habuerunt comprobationem prosperorum exituum, secus ac *inquisitio de cellulis staminalibus adultis*. Cum igitur nonnulli persuasum sibi habuerint quod metae therapeuticae, quas forte consequi possent per cellulas staminales embryonis, excusare quoque valerent varias formas artificiosae tractationis et exstinctionis humanorum embryonum, eluxit summa quaestionum in ambitu therapiae genicae, clonationis et usus cellularum staminalium, de quibus est ferenda accurata moralis existimatio.

Therapia genica

25. Nomine *therapiae genicae* vulgo intellegitur applicatio in homine technicarum artium geneticae machinalis doctrinae, ad pathologias sanandas, scilicet ut curari possint morbi, genetica transmissione innixi, licet recentioribus temporibus nonnulli conentur adhibere therapiam genicam etiam ad curandos morbos non hereditarios, potissimum in cancrorum cura.

Ratione theorica, potest therapia genica adhiberi secundum utrumque gradum, alterum in cellulis somaticis alterum autem in cellulis germinalibus. *Therapia genica somatica* intendit tollere vel minuere defectus geneticos qui exstant in gradu cellularum somaticarum, quae sunt cellulae facultate reproductiva carentes, quibus efformantur texturae et organa corporis. Agitur hoc in casu de interventibus qui diriguntur ad certas cellularum sectiones ut producant effectus limitatos in singulis individuis. *Therapia genica germinalis* autem finem sibi proponit emendandi defectus geneticos qui adsunt in cellulis germinalis lineae, ut effectus therapeutici, qui in subiecto felicem exitum habuerint, transmittantur ad eiusdem fortuitam progeniem. Huiusmodi interventus therapiae genicae, sive somaticae sive germinalis, possunt fieri in fetu *ante eius nativitatem* – et tunc appellatur therapia genica in utero – vel *post nativitatem*, in infante vel in adulta humana creatura.

26. Ad iudicium ethicum ferendum opportune distinguantur oportet huiusmodi therapiae. Etenim *interventus de cellulis somaticis qui finem stricte therapeuticum sibi proponant, ethica spectata ratione, liciti iure habentur*. Tales interventus tendunt ad pristinam configurationem geneticam de more restaurandam in subiecto vel ad oppugnanda damna conexa cum anomaliis geneticis praesentibus vel cum aliis conrelatis pathologiis. Et cum therapia genica afferre possit gravia damna infirmo, tenendum est principium deontologicum

generale quod prohibet quin therapeuticus interventus fiat antequam certo constet imprimis nulla damna allatura esse infirmi curandi vel saluti vel plenae integritati, quae evadant supra modum vel haud proportionata pro gravitate pathologiae curandae. Requiritur quoque adsensus conscius infirmi vel legitimi procuratoris.

Alia exstat moralis aestimatio de *therapia genica germinali*, quia quaelibet mutatio genetica quae allata fuerit subiecti cuiusdam humani cellulis germinalibus translatura erit eius fortuitae progeniei. Cum ergo pericula quae secumfert quaelibet genetica artificiosa tractatio non sint levia quin immo adhuc parum moderabilia, *spectata actualis investigationis condicione non licet ethice ita agere ut potentialia damna quae haec tractatio secumfert in progeniem diffundantur*. Praeterea si agatur de therapia genica in embryone, asseverandum est ultra quod eadem ad actum deducenda est in contextu technicae fecundationis *in vitro* et ideo secumfert omnes solvendas ethicas quaestiones conexas cum his rationibus. Propterea igitur affirmandum est, spectato statu actuali investigationis, therapiam genicam germinalem, cuiusque generis et formae, ad normam doctrinae ethicae, esse illicitam.

27. Specifica consideratio tribuenda est *hypothesi quae spectat fines applicativos machinalis doctrinae geneticae alios ac therapeuticos*. Sunt qui usurpare sint ausi possibilitatem adhibendi technicas methodos machinalis doctrinae geneticae ad operandas artificiosas tractationes sub pretextu in melius mutandi et incrementum dandi genetico patrimonio. Non est tacendum quibusdam his propositis inesse speciem, ut ita dicatur, non satisfactionis vel et recusationis praestantiae hominis ut creaturae personaeque perfectae. Praeter technicas difficultates ad illud perficiendum, cum omnibus periculis realibus et potentialibus conexis, veritas potissimum patet quod huiusmodi artificiosae tractationes fovent eugeneticum mentis habitum et indirectum sociale stigma inducunt in homines carentes peculiaribus dotibus, qui propterea extollunt dotes magni aestimatas apud alias certas culturas et societates, quibus tamen humana peculiaritas per se minime inniti potest. Quae omnia pugnarent contra veritatem fundamentalem de iuridica inter humanas creaturas aequalitate, quae vertitur in praeceptum iustitiae, et cuius transgressio, longo temporis intervallo, secumlatura certo erit imminentia damna pacificae personarum conviventiae. Praeterea quaeri potest quis decernere possit quales sint mutationes habendae positivae et quales secus, vel qua-

les sint fines ponendi petitionibus singularum personarum, quae in melius praesumant mutare, cum impossibile re evadat desideriis satisfacere uniuscuiusque hominis. Quaelibet enim responsio data his quaestionibus oriretur utcumque ex criteriis arbitrariis et ex coniecturis. Consequitur ex his quae dicta sunt quod talis prospectus interventus obfuturus erit ad summam bono communi, brevi vel longo temporis intervallo, favens cum sit dominatui paucorum hominum contra ceterorum libertatem. Non est in fine tacendum quod in conatu creandi *novum typum* hominis *ratio ideologica* latet, qua humana creatura autumat ipsum Creatorem se subrogare posse.

Affirmans negativitatem ethicam huius generis interventus, qui secumfert *iniustum hominis dominatum super alium hominem*, Ecclesia ad memoriam revocat necessitatem et redeundi ad prospectum therapeuticum personarum et omnes educandi ad humanam vitam suscipiendam in eius concreta historica finitudine.

Hominis clonatio

28. Humanae clonationis nomine intellegitur reproductio asexualis et agamica totius humani organismi, ut conficiatur unum vel plura «exemplaria» quae genetice substantialiter eadem sint ac unicus progenitor.[47]

Clonatio proponitur duobus praecipuis finibus, altero *reproductionis*, scilicet ad consequendam nativitatem pueri clonati, altero autem *therapiae* aut inquisitionis scientificae. Clonatio ad reproductionem obtinendam ratione theorica apta esset ad implendas exspectationes quasdam peculiares, ut sunt humanae evolutionis moderatio, selectio creaturarum humanarum quae qualitates eximias polleant, praevia selectio sexus nascituri pueri, productio filii qui exemplar perfectum sit alius, productio filii ad bonum coniugum laborantium sterilitatis formis quibus aliter subveniri nequeat. Clonatio therapeutica econtra exhibita est ut productionis cellularum staminalium embryonis medium, patrimonio praeditarum genetico praedeterminato, ita ut vinci

[47] Si vulgatam scientiam hodiernam sequamur, methodi artis technicae, quae proponuntur ad humanam clonationem in actum deducendam, duo exstant potiores, quae sunt fissio gemellaris et translatio nuclei, quarum *fissio gemellaris* consistit in separatione artificiosa singularum cellularum vel catervarum cellularum ab embryone, in primis gradibus eius evolutionis, ut postea huiusmodi cellulae in uterum transferri possint ad creandos modo artificioso embryones similes in toto; *translatio nuclei* autem vel clonatio proprie dicta consistit in introductione nuclei, ablati a cellula embryonaria vel somatica, ad ovocytum, a quo antea ablatus fuerit nucleus, cui sequitur eiusdem ovocyti vivificatio, quod consequenter evolvendum sit ut embryon.

possit periculum reiectionis (quae dicitur immunoincompatibilitas); eadem igitur conectitur quaestionibus de usu cellularum staminalium.

Clonationis conatus in orbe universo tam magnam animi conturbationem suscitaverunt, ut varia instituta nationalia et internationalia expresserint negativas aestimationes de clonatione humana, itaque prohibita est in fere cunctis nationibus.

Hominis clonatio intrinsece est illicita, quia ad pessimum exitum perducens technicarum artium de artificiosa fecundatione negativitatem, finem habet *procreandi novam creaturam humanam avulsam ab actu mutuae donationis coniugum*, quin magis radicitus, *absolutam ex toto a sexualitate*. Haec ratio abusus secumfert et adulterationes artificiosas quibus graviter offenditur humana dignitas.[48]

29. Quodsi clonationis finis esset *reproductivus*, cogeretur creatura clonata ad geneticum patrimonium praestitutum suscipiendum, et subiugaretur de facto – ut supra dictum est – ad quandam *servitutis biologicae* formam, a qua vix liberari posset. Sed idipsum quod quispiam ius sibi autumat determinandi suo arbitrio qualitates geneticas alius personae *secumfert grave crimen contra eius praestantiam et fundamentalem inter homines aequabilitatem*.

Ex peculiari et certa necessitudine Deum inter et hominem inde a primordiis nativitatis oritur personae cuiusque singularis indoles, cui debetur observantia eius peculiaris praestantiae et integritatis biologicae quoque et geneticae. Quisque nostrum in alio homine creaturam congreditur humanam, quae exsistentiam et notas suas peculiares Dei amori tribuere debet, cuius unus coniugum amor constituit mediationem congruentem cum Dei Creatoris et caelestis Patris proposito.

30. Multo gravior exhibetur, ethica ratione spectata, clonatio *therapeutica* quam vocant. Creare enim embryones, quos exstinguendos esse statuitur, etiamsi intendatur aegrotis prodesse, omnino incongruens est dignitati humanae, cum exsistentiam humanae creaturae, licet in gradu embryonis, nihil aliud amplius faciat quam merum instrumentum adhibendum et destruendum ad arbitrium sui. Etenim *gravissimum est delictum vitam sacrificare cuiuslibet hominis ad alium curandum*.

[48] Cfr Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, I, 6: *AAS* 80 (1988), 84; Ioannes Paulus II, Allocutio ad Corpus Legatorum apud Apostolicam Sedem (10 Ianuarii 2005), 5: *AAS* 97 (2005), 153.

Ethicae perplexitates, in medio a quibusdam toto in orbe positae, contra therapeuticam clonationem necnon contra usum humanorum embryonum *in vitro* creatorum, alios scientiae peritos viros impulerunt ad proponendas novas technicae artis medicae methodos, quae exhiberentur aptae ad efformandas cellulas staminales embryonum generis quin autem praevideatur suppressio embryonum qui certo sint humani.[49] Talia proposita nonnullas suscitaverunt quaestiones sive ex parte scientiarum sive ex parte ethicae doctrinae, spectantes potissimum statutum ontologicum « productae rei » ita confectae. Dummodo huiusmodi perplexitates fugatae non fuerint magni facienda erit sententia Litteris Encyclicis *Evangelium Vitae* tradita: « Tantum est praeterea rei momentum ut, habita officiorum moralium ratione, sola probabilitas ipsa de praesentia alicuius personae prohibeat planissime quoslibet actus ad germen humanum exstinguendum intentos ».[50]

Usus therapeuticus cellularum staminalium

31. Cellulae staminales habentur cellulae nondum differentiis obnoxiae, quibus insunt duo qualitates fundamentales, quae sunt: a) facultas protracta se multiplicandi quin diversificentur; b) facultas creandi cellulas progenitrices transitorias, a quibus descendunt cellulae quae maxime diversificantur, ut sunt cellulae nervosae, musculosae, haematicae.

Ex quo per experimenta constitit quod staminales cellulae, si implantatae fuerint in textura quae passa sit damna, eo tendere ut faveant cellularum redintegrationi et huiusmodi texturae regenerationi, novi prospectus eluxerunt de medicina regenerativa, qui iure magnam spem suscitaverunt apud scientiarum inquisitores toto orbe terrarum.

In homine, fontes staminalium cellularum adhuc singillatim cogniti exstant: embryon in exordiis suae evolutionis, fetus, cruor funiculi umbilici, multae ac variae texturae in adulto homine (medulla ossea, funiculus umbilici, cerebrum, mesenchima plurium membrorum, etc), et liquidum amnioticum. Apprime investigationes factae sunt potissimum de *cellulis staminalibus embryonis*, cum his unis putaretur inesse plurimas potentialitates se multiplicandi atque inter se discriminandi. Innumerae investigationes autem in lucem posuerunt quod etiam in cellulis *staminalibus adultis* inest quaedam

[49] Novae technicae rationes huiusmodi sunt, exempli gratia, applicatio parthenogenesis ad hominem, alterati nuclei translatio, vulgo *Altered Nuclear Transfer* (ANT) et iterata ovocyti artificiosa programmatrix ratio, vulgo *Oocyte Assisted Reprogramming* (OAR).

[50] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 60: *AAS* 87 (1995), 469.

propria versatilis ratio. Licet talibus in cellulis non videatur inesse eadem facilitas se renovandi neque eadem tractabilitas quibus fruuntur cellulae staminales ex embryone orientes, tamen studia et experimenta scientifica maximi gradus inclinant ad tribuendum talibus cellulis magis prosperos exitus, si conferantur cum embryonalibus. Protocolla therapeutica, quae hodie ad actum deducuntur, proposito non carent utendi cellulis staminalibus adultis, de quibus plures initae sunt inquisitionis rationes ac viae, ita ut aperire videantur novi ac prosperi spei fines.

32. Ad iudicium ethicum ferendum perpendenda sunt tum *deductionis cellularum staminalium methodi* tum *damna quae oriri possint ex eorum usu clinico vel experimentali.*

De rationibus ac viis adhibitis ad colligendas cellulas staminales fontes perpendendi sunt. Itaque licitae sunt habendae omnes methodi, quae nullum grave damnum inferant creaturae a qua cellulae staminales extrahuntur. Haec condicio generaliter comprobatur si deductio fiat: a) ex texturis creaturae adultae; b) ex cruore funiculi umbilicalis in ipso partu; c) ex texturis fetuum qui mortui sint per naturalem interitum. Deductio econtra cellularum staminalium ex humano embryone vivo, secumfert certam eius exstinctionem et ideo habenda est omnino illicita. Hoc in casu «investigatio, quin considerentur exitus utilitatis therapeuticae, certo longe est a fine generi humano favendi; operatur enim per suppressionem creaturarum humanarum viventium, quae pari dignitate fruuntur ac ceterae humanae personae quinimmo ac ipsi scientiarum periti viri. Historia praeterita et futura damnavit et damnabit huiusmodi scientiam, non solum quia caret divina luce, potissimum autem quia humana quoque caret caritate».[51]

Usus cellularum staminalium embryonis, vel cellularum discretarum quae ab illis sunt ortae, quaeque si casus tulit oblatae sint ab aliis scientiarum inquisitoribus, suppressis embryonibus, vel quae inveniri possint per mercaturam, graves quaestiones in medio ponit ratione spectata cooperationis ad opus malum et ad scandalum.[52]

Quoad usum clinicum cellularum staminalium, quae productae fuerint per licitos processus, nulla est quaestio ethica ponenda. Observanda tamen sunt

[51] Benedictus XVI, Allocutio ad Congressum Internationalem a Pontificia Academia pro Vita paratum «De cellulis staminalibus quid praevideatur ad therapiam perficiendam» (16 Septembris 2006): *AAS* 98 (2006), 694.

[52] Cfr nn. 34-35 praesentis Instructionis.

criteria communia medicae deontologicae artis. Hac in re procedendum est maxima cum severitate et prudentia, primum ut minima fiant pericula ad infirmos quod attinet, deinde ut foveatur mutua exitus comparatio inter peritos viros, exhibeatur demum integra rerum notitia permagno vulgo.

Fovenda sunt incepta ac subsidia praestanda pervestigationi, quae respiciat usum cellularum staminalium adultarum, cum minime secumferat ethicas perplexitates.[53]

Conatus hybridationis

33. Nuper adhibita sunt animalium ovocyta ad iterum apparandum programma de nucleis cellularum somaticarum hominis – quae vulgo appellatur *clonatio hybrida* –, ut extrahi possent cellulae staminales embryionales ab huiusmodi embryonibus ortis, quin adhibenda essent humana ovocyta.

Rationem ethicam quod spectat huiusmodi processus offendunt humanae creaturae dignitatem, *cum misceantur elementa genetica hominis una cum animalium quae nonnisi turbare possunt identitatem specificam hominis*. Fortuitus usus cellularum staminalium, quae ab huiusmodi embryonibus extrahantur, praeterea secumferret forte pericula contra salutem nova, adhuc omnino ignota, propter praesentiam materiae geneticae animalis in eorum cytoplasmate. Dubitari nequit quin ad hanc aleam scite exponere humanam creaturam ethice ac deontologice illicitum sit.

Usus humanae « materiae biologicae » ex illicita origine provenientis

34. Ad perficiendam inquisitionem scientificam et productionem vaccinorum vel aliorum productorum interdum adhibentur lineae cellulares, qui exitus sunt illiciti interventus contra vitam vel contra physicam integritatem humanae creaturae. Nexus cum iniusta actione potest esse immediata vel mediata, cum agatur generaliter de cellulis quae faciliter et copiose reproducuntur. Quae « materia » interdum in mercaturam immittitur, interdum gratuito offertur institutis inquisitionis scientificae a publicis institutionibus quibus ope legis hoc fuerit mandatum. Haec omnia secumferunt *diversas quaestiones ethicas quod spectat cooperationem ad malum et ad scandalum.*

[53] Cfr Benedictus XVI, Allocutio ad Congressum Internationalem a Pontificia Academia pro Vita paratum « De cellulis staminalibus quid praevideatur ad therapiam perficiendam » (16 Septembris 2006): *AAS* 98 (2006), 693-695.

Oportet ergo principia enucleare generalia, quibus innixi qui operantur in hac regione recta cum conscientia, existimare possunt et solutionem invenire aptam stantibus situationibus in quibus si casus ferat complecti possint, exercentes navitatem professionalem suam.

Ad mentem primum revocetur oportet quod eadem moralis abortus aestimatio applicanda est « aequabiliter ad recentes formas *incursionum in embryones humanos* quae, quantumvis proposita in se honesta persequantur, necessario tamen eorum secum important necem. De *experimentis* agitur *super embryones* peractis, quae latius usque in biomedicae inquisitionis provincia percrebrescunt et quae aliquibus in Civitatibus lege permittuntur... Contra est item adserendum embryonum fetuumve humanorum usurpationem tamquam obiectorum totidem periclitationis constituere sceleratam violationem eorum dignitatem ut hominum, quibus videlicet ius sit ad eandem reverentiam quae omni debeatur infanti iam nato omnique personae ».[54] Huiusmodi experimentorum formae *gravem prae se ferunt ordinis moralis turbationem*.[55]

35. Alius est generis res quae in medio ponitur si viri pervestigationibus dediti utantur « materia biologica » originis illicitae, quae creata sit extra suam sedem pervestigationis scientificae vel quae inveniatur in mercatura. Instructio *Donum vitae* praeceptum generale exaravit, servandum his in casibus: « Ad embryonum vel fetuum cadavera, voluntarie abortiva vel non, eadem spectat observantia, quae ceterorum mortuorum hominum exuviis adhibetur. Speciatim non licet haec cadavera mutilationibus aut autopsiae subicere, nisi certo constet de morte ac nisi praevius habeatur parentum aut matris consensus. Praeterea, semper salva legis moralis praescriptio esse debet, quae excludit quamlibet cum abortu voluntario societatem et scandali periculum ».[56]

Ad hoc quod spectat *non sufficere videtur criterium independentiae a quibusdam propositum ethicis comitatibus*, scilicet, nequit affirmari quod ethice liceat uti « materia biologica » illicitae originis, dummodo adsit clara distinctio inter quotquot ex una parte creant, congelant et morti tradunt embryones et quotquot ex altera parte pervestigant et incrementum ferunt scientificis experimentis. Hoc independentiae criterium non valet occultare contradictio-

[54] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 63: *AAS* 87 (1995), 472-473.
[55] Cfr *ibid.*, 62: *l.c.*, 472.
[56] Congregatio pro doctrina fidei, Instr. *Donum vitae*, I, 4: *AAS* 80 (1988), 83.

nem insitam in agendi more eius qui proclamat respuendam esse iniustitiam ab aliis patratam, at insimul suscipit ad laborandum « materiam biologicam » ab aliis creatam per huiusmodi iniustitiam. Si res illicita permittatur a legibus quae moderantur systema sanitarium et scientificum, seiungi oportet a rationibus iniquis talis systematis, ne credatur quodammodo tolerari vel ratum tacite haberi huiusmodi actiones graviter iniustas.[57] Hoc enim simul augeret indifferentiam, si non favorem, quo huiusmodi actiones existimantur in nonnullis ambitibus medicis et politicis.

Interdum obicitur quod existimationes supra allatae videntur inniti scientiae inquisitorum officio, bona fruentium conscientia, activae oppositionis faciendae cunctis illicitis actionibus ad actum deductis in ambitu medicorum, itaque dilatantur eorum responsabilitates. Officium revera vitandae cooperationis ad malum et scandalum spectat ipsorum medicorum navitatem professionalem ordinariam, qua frui debent recte et per quam eis testificandus est vitae valor, leges quoque maxime iniustas omnino reicientes. Altius est ergo declarandum quod officium respuendi talem « materiam biologicam » – in absentia quoque cuiuslibet proximae virorum peritorum conexionis cum actionibus technicorum hominum qui incubuerint artificiosae procreationi vel cum eis omnibus qui abortu procurando interfuerint, et in absentia praevii concordatus cum centris artificiosae procreationis – oritur ex *officio secedendi*, in exercitio propriae activitatis scientificae investigationis, *ab adiunctis legis graviter iustitiam laedentibus et confirmandi explicite vitae humanae praestantiam*. Igitur independentiae criterium de quo supra mentionem fecimus est necessarium, sed potest non sufficere, ratione ethica spectata.

Verum, in hoc generali et certo prospectu tam *diversae ac seiunctae responsabilitates* exstant, ut graves causae ac cum ethica congruentes possint excusare usum « rei biologicae » de qua dictum est. Itaque exempli gratia si periculum immineat saluti puerorum possunt eorum parentes usum vaccini permittere ad quod apparandum adhibitae sint lineae cellulares illicitae originis, quin parvipendatur omnium officium manifestandi de hac re dissensum et petendi ut sanitariae structurae in promptu habeant et offerant alia genera vaccinorum. Ceterum fatendum est quod in opificiis adhibentibus lineas cel-

[57] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 73: *AAS* 87 (1995), 486: « Abortus ergo et euthanasia crimina sunt quae nulla humana lex potest rata facere. Huiusmodi leges non modo conscientiam non devincunt verum *graviter nominatimque compellunt ut iisdem per conscientiae repugnantiam officiatur* ». Ius ad conscientiae repugnantiam, innititur iure ad conscientiae libertatem, cuius suscipienda tutela est publicis legibus.

lulares originis illicitae non eadem inest responsabilitas in eis qui praesunt decernendis productionis directoriis principiis ac in eis qui omnino hac carent potestate.

In contextu necessariae et urgentis *conscientiarum delectus pro vita tuenda*, ad mentem salutis operatorum revocare oportet quod in ambitu medico « eorum responsalitas hodie maxima facta est suamque altissimam reperit incitationem firmissimumque adiumentum in interiore necessariaque morali mensura medicae professionis, sicut iam illud semperque validum confirmavit *Hippocratis iusiurandum*, secundum quod cuique medico est adlaborandum pro absoluta vitae humanae reverentia eiusque sacra indole ».[58]

CONCLUSIO

36. Ecclesiae doctrina de moribus interdum arguitur quod innumeris denegationibus fulciatur. Verum eadem innititur agnitione et promotione donorum omnium quibus Creator ditavit hominem, in quibus est vita, intellectus, libertas et amor. Peculiaris aestimationis igitur sunt non solum navitates speculativae hominis, sed etiam operativae, ut sunt manuum labor et activitas technologica, quibus potissimum participat virtutem Dei Creatoris a quo et missionem suscepit creaturam universam in melius mutandi, atque ideo eius multiplices opes disponendi ad favendum dignitati et prosperitati omnium hominum et totius ipsius hominis, necnon custodiendi eius praestantiam et intrinsecam pulchritudinem.

Attamen historia humana testificatur quomodo homo abusus sit et adhuc abutatur potestate et facultatibus a Deo ipsi commissis, et auctor sit *diversorum generum iniustae discriminationis et oppressionis* contra infirmiores et defensione magis destitutos. Etenim cotidianae insidiae contra humanam vitam, latae regiones paupertate adhuc laborantes, in quibus homines innumeri pereunt inopiae et morborum causa, cum exclusi maneant ab opibus scientiarum et technicarum quibus abundant et superabundant tot Nationes, progressus technologicus et industrialis qui secumfert periculum verum dissolutionis oecosystematis, quod appellant, scientiae inquisitionum usus de physica, chemia et biologia ad bella conficienda, innumera bella quae adhuc populos dividunt et culturas, haec omnia sunt, pro dolor!, solum aliquot ex signis eloquenter testantibus quomodo homo possit abuti suis facultatibus et

[58] Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Evangelium vitae*, 89: *AAS* 87 (1995), 502.

fieri pessimus suipsius inimicus, amittens conscientiam suae excelsae et peculiaris vocationis, qua factus est cooperator creatricis Dei operae.

Pari ratione historia humana realem *progressum patefacit in comprehensione et agnitione valoris et dignitatis humanae cuiusque creaturae*, quod fundamentum est iurium et praeceptorum moralium quibus data est et datur opera ut humana societas aedificetur. Et hac ipsa igitur urgente promovendae humanae dignitatis ratione vetitum est ad actum deducere quoslibet mores et cunctas vitae rationes tali dignitati laesionem secumferentes. Inde, exempli causa, cum vetantur rationibus quoque iuridicis et politicis et non tantum ethicis, varia genera discriminationum stirpis et servitutis, iniustae discriminationes et emarginationes mulierum, puerorum, infirmorum vel graviter inhabilium, elucet apertum testimonium de agnoscendo inalienabili valore, cum intrinseca dignitate, cuiuslibet humanae creaturae atque signatur documentum authentici progressus per humanam historiam evolventis. Aliis verbis, proclamatur quod iuridica prohibitionum legitimitas necessitate inniti tutandi authenticum bonum ethicum.

37. Quamquam humanus et socialis progressus apprime denotatus est potissimum incrementis fabricarum et productione rerum consummandarum, cum hodie celebretur propter incrementum informaticae, ut dicunt, scientiae, pervestigationes in ambitu geneticae artis, medicinae et biotechnologiarum, in usum quoque hominis usurpatarum, tamen omnes huiusmodi sectores tam maximi momenti pro futuris hominum aetatibus, non carent et ipsi evidentibus quoque et exprobrandis arbitriis. « Ut elapso evenit saeculo, cum opprimeretur classis opificum, quos Ecclesia grandi animo defendit, proclamans inalienabilia et sacra iura personae opificis, ita nostra aetate, cum aliud genus personarum opprimitur quod attinet ad ius fundamentale ad vitam, eadem Ecclesia munere suo compellitur vocis dandae immutato animo omnibus qui voce carent. Cuius clamor semper est evangelicus pro defensione mundi pauperum, quotquot minis urgentur, spernuntur et opprimuntur suis in iuribus humanis ».[59]

Instante missione doctrinali et pastorali Ecclesiae, Congregatio pro Doctrina Fidei propter officium sibi concreditum existimavit iterum confirmandam esse dignitatem una cum iuribus fundamentalibus et inalienabilibus humanae uniuscuiusque creaturae, in primordiis quoque suae exsistentiae,

[59] Ioannes Paulus II, Nuntius ad universos episcopos de vita hominis tuenda (19 Maii 1991): *AAS* 84 (1992), 319.

atque explicandas esse exigentias tutelae et observantiae, quas huiusmodi dignitatis agnitio omnibus imponit.

Ut hoc officium ad actum deducatur opus est animo se opponendi omnibus illis actibus qui generare valeant grave et iniustum discrimen erga humanas creaturas nondum natas, quae personae dignitate fruuntur, cum et ipsae creatae sint ad imaginem Dei. Non est infitiandum quod *post quodque « non » fulget*, in oneroso discretionis iudicio inter bonum et malum, *magnum illud « amen », quod agnoscit dignitatem et valorem inalienabilem et non iterabilem creaturae cuiusque humanae quae ad exsistentiam vocatur*.

Christifideles firmiter operam dabunt ad novam de vita culturam promovendam, doctrinae huius Instructionis adhaerentes religioso sui spiritus assensu, certo scientes Deum semper necessariam gratiam esse largiturum ad sua servanda mandata, et in quavis humana creatura, potissimum in parvulis, ipsum Christum inveniri (cfr *Mt* 25, 40). Omnes quoque bonae voluntatis homines, potissimum medici et qui investigant sine praeiudicio et patentis sunt animi ad confrontationem ineundam et veritatem adipisci cupientes, valebunt huiusmodi principia et iudicia intellegere et participare, cum tendant ad tuendam fragilem condicionem creaturae humanae in primordialibus suae vitae statibus et ad promovendum humaniorem civilem cultum.

Summus Pontifex Benedictus XVI, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto die 20 Iunii 2008 concessa, praesentem Instructionem, in Sessione Ordinaria huius Congregationis deliberatam, approbavit et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, in aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 8 Septembris anno 2008, in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis.

WILLELMUS card. LEVADA
Praefectus

✠ ALOISIUS F. LADARIA, S.I.
Archiepiscopus tit. Thibicensis
Secretarius

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

HARLEMENSIS

de nominis mutatione.

DECRETUM

Multum conferre potest ad pastoralem curam aptius exercendam varietatis populi Dei necnon geographicorum historicorumque personarum locorumve adiunctorum rationem habere.

Idcirco Exc.mus P.D. Iosephus Maria Punt, Episcopus Harlemensis, intra fines circumscriptionis sibi commissae urbem vulgo nuncupatam «Amsterdam» exstantem perpendens, quae non solum ob vetustatem, historiae famam atque eminentiam tamquam urbs caput Nederlandiae iure celebratur verum etiam permagnum momentum pro vita pastorali illius dioecesis acquisivit, preces enixe porrexit ut praesenti Harlemensis sedis appellationi nomen praedictae urbis itidem adiungatur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Francisci Bacqué, Archiepiscopi titularis Gradiscani et in Nederlandia Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice, Benedicto, divina Providentia PP. XVI tributarum, porrectis precibus annuendum censuit.

Eadem Congregatio, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut, in posterum, illius dioecesis eiusque Praesulis Ordinarii loci titulum ac denominatio "Harlemensis - Amstelodamensis" sit.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum P.D. Franciscum Bacqué, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet

virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 7 mensis Octobris anno 2008.

✠ Ioannes Baptista card. Re
Praefectus

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

L. ✠ S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 280/2008

SANCTI IOANNIS CANADENSIS ET BATHURSTENSIS IN CANADA

de finium mutatione.

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possint, Exc.mi PP.DD. Robertus Harris, Episcopus Sancti Ioannis Canadensis, et Valerius Vienneau, Episcopus Bathurstensis in Canada, audita Conferentia Episcoporum Canadensium, unanimo consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut ecclesiasticarum circumscriptionum sibi concreditarum fines immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Aloisii Ventura, Archiepiscopi titularis Equiliensis et in Canada Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Benedicto, Divina Providentia PP. XVI, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, hoc Decreto, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Bathurstensi in Canada distrahit et dioecesi Sancti Ioannis Canadensis adnectit integrum territorium paroeciae « Ascensionis » in urbe vulgo nuncupata « Beaverbrook », mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus.

Quamobrem documenta et acta praefati territorii clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curia Bathurstensi in Canada ad Curiam Sancti Ioannis Canadensis transmittantur.

Ad haec perficienda, Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P.D. Aloisium Ventura, Archiepiscopum titularem Equiliensem et in Canada Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 11 mensis Novembris anno 2008.

✠ Ioannes Baptista card. Re
Praefectus

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

L. ✠ S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 952/2008

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 12 Novembris 2008. — Cathedrali Ecclesiae Iuinensi, R.D. Rainerium Iosephum Tondello, e clero dioecesis Caxiensis, hactenus in dioecesi Iuinensi Seminarii vulgo dicti «*Sagrado Coraçao de Jesus*» Rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Ianuariensi, R.D. Iosephum Moreira da Silva, e clero dioecesis Portus Nationalis, hactenus eiusdem dioecesis paroeciae vulgo «*Nossa Senhora de Abadia*» in Taguatinga dictae parochum.

die 13 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Hispalensi, Coadiutorem Exc.mum P.D. Ioannem Ioseph Asenjo Pelegrina, hactenus Cordubensem Episcopum.

die 18 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Leavenvorthiensi, R.D. Barrium C. Knestout, e clero archidioecesis Vashingtonensis, ibique hactenus Moderatorem curiae et Vicarium Episcopalem pro administratione, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 19 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Botucatuensi, Exc.mum P.D. Mauritium Grotto de Camargo, hactenus Episcopum Assisensem.

die 20 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Zacapensi et SS.D.N.I.C. de Esquipulas, R.D. Roscelinum Bianchetti Boffelli, e clero dioecesis Quicensis, hactenus Vicarium Generalem et paroeciae vulgo «*San Antonio Ilotenango*» nuncupatae parochum.

— Ordinariatui Militari in Hungaria, Exc.mum P.D. Ladislaum Bíró, hactenus Episcopum titularem Castrensem Galbae et Auxiliarem Colocensem Kecskemetensem.

die 21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Cenomanensi, R.D. Ivonem Le Saux, e clero dioecesis Augustodunensis et sodalem Communitatis Emmanuelis, hactenus Moderatorem alumnorum in seminariis, diaconorum et presbyterorum eiusdem Communitatis.

— Cathedrali Ecclesiae Constantinianae, R.D. Paulum Desfarges, Societatis Iesu sodalem, hactenus communitatis eiusdem Societatis Iesu in urbe Algeriensi, moderatorem.

die 22 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Pacatensi, R.D. Ariel Edgardum Torrado Mosconi, in archidioecesi Bonaërensi parochum, quem constituit Auxiliarem dioecesis Sancti Iacobi de Estero.

die 25 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Gomez-Palaciensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Iosephum Guadalupe Torres Campos, hactenus Episcopum titularem Quiziensem et Auxiliarem Civitatis Iuarezensis.

die 27 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Thimidorum Regiorum, R.D. Florentium Armandum Colín Cruz, hactenus Canonicum Basilicae «*Nuestra Señora de Guadalupe*» in archidioecesi Mexicana et paroeciae vulgo «*Capucinas*» nuncupatae parochum.

die 28 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Cataquensi, R.D. Nicolaum Souchu, e clero dioecesis Aurelianensis, ibique hactenus Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Rhedonensis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Ressianensi, R.D. Ioannem Petrum Batut, e clero archidioecesis Parisiensis, ibique hactenus parochum paroeciae Sancti Eugenii et Sanctae Caeciliae, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Lugdunensis.

die 1 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Cucutensi, Exc.mum P.D. Iacobum Prieto Amaya, hactenus Episcopum Barrancabermeiensem.

die 3 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Teotihuacanae, noviter erectae, R.D. Franciscum Escobar Galicia, e clero dioecesis Texcocensis, hactenus paroeciae vulgo «*San Martín de las Pirámides*» nuncupatae parochum.

die 5 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Bauzanensi-Brixinensi, R.D. Carolum Golser, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Canonicum Paenitentiarium et Doctorem Theologiae Moralis in seminario dioecesano.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 8 novembre, S.E. il Sig. Wang Larry Yu-yuan, Ambasciatore della Repubblica della Cina;

Giovedì, 13 novembre, S.E. il Sig. Sante Canducci, Ambasciatore della Repubblica di San Marino;

Lunedì, 17 novembre, S.E. il Sig. Georges Chakib El Khoury, Ambasciatore del Libano;

Venerdì, 5 dicembre, S.E. il Sig. Juan Pablo Cafiero, Ambasciatore di Argentina.

Ha altresì ricevuto in Udienza:

Giovedì 13 novembre, S.E. il Sig. Luiz Inácio Lula da Silva, Presidente della Repubblica Federativa del Brasile;

Venerdì, 21 novembre, il Senatore Renato Schifani, Presidente del Senato della Repubblica Italiana;

Lunedì, 1° dicembre, S.E. il Sig. Mahinda Rajapaksa, Presidente della Repubblica Democratica Socialista di Sri Lanka.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

1 novembre 2008 S.E.R Mons. Rino Passigato, Arcivescovo titolare di Nova di Cesare, finora Nunzio Apostolico in Perù, *Nunzio Apostolico in Portogallo.*

2 novembre 2008 Sua Ecc.za Rev.ma Mons. Giambattista Diquattro, Arcivescovo titolare di Giromonte, finora Nunzio Apostolico in Panamá, *Nunzio Apostolico in Bolivia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

4 novembre 2008 I Rev.di P. Pietro Bovati, S.I., docente presso il Pontificio Istituto Biblico, Roma; Juan Miguel Díaz Rodelas, docente presso la Facoltà di Teologia di Valencia, Presidente dell'Associazione Biblica Spagnola (Spagna); P. Francolino Gonçalves, O.P. (Portogallo), docente presso l'*École Biblique et Archéologique Française* di Gerusalemme; Thomas Manjaly, docente presso l'*Oriens Theological College* di Shillong e il *Sacred Heart's College* di Mawlai (India); Yeong-sik Johan Pahk, dell'Arcidiocesi di Seoul (Corea); Henryk Witczyk, docente presso l'Università Cattolica di Lublin (Polonia), *Membri della Pontificia Commissione Biblica.*

» » » I Rev.di P. Jean-Noël Aletti, SI.; Olivier Artus; Miguel Antonio Barriola; P. Ab. Denis Farkasfalvy, O.Cist; P. Prosper Grech, O.S.A.; Ney Brasil Pereira; P. Donald Senior, C.P.; P. Clemens Stock, SI.; Ramón Trevijano Etcheverría; P. Ugo Vanni, S.I.; P. Carlos Zesati Estrada, M.Sp.S.; ed il Sig. Cristoph Dohmen, *Membri della medesima Pontificia Commissione « in aliud quinquennium ».*

10 » » L'Em.mo Signor Cardinale Keith Michael Patrik O'Brien, *Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti, « in aliud quinquennium ».*

11 » » L'Ill.mo Signore Dott. Paolo Mennini, *Delegato della Sezione Straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « in aliud quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Sig. Cardinali: Justin Francis Rigali, Arcivescovo di Philadelphia, e Renato Raffaele Martino, Presidente del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace e del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti, *Membri dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

» » » Il Rev.do Mons. Francesco Di Felice, *« de numero participantium » del Collegio dei Protonotari Apostolici.*

18 novembre 2008 I Rev.di Mons. Giuseppe Sciacca, Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana; Sac. Valerio Michele Adriano, dell'Arcidiocesi di Torino (Italia); Sac. Davide Cito, della Prelatura personale dell'Opus Dei, Professore di Diritto Penale nella Pontificia Università della Santa Croce, Roma; P. James Conn, S.I., Professore di Diritto Canonico nella Pontificia Università Gregoriana, Roma; Sac. Enrico Dal Covolo, S.D.B., Professore nella Facoltà di Lettere Cristiane e Classiche della Pontificia Università Salesiana, Roma; Sac. Alberto Franzini, della Diocesi di Cremona (Italia); Sac. Martin Grichting, della Diocesi di Chur (Svizzera); P. David-Maria Jaeger, O.F.M., Professore di Diritto Canonico nella Pontificia Università «Antonianum», Roma; P. Moacyr Malaquias Júnior, O.F.M., Professore di Diritto Patrimoniale Canonico nella Pontificia Università «Antonianum», Roma; Sac. Jesús Miñambres, della Prelatura personale dell'Opus Dei, Professore di Diritto Amministrativo nella Pontificia Università della Santa Croce, Roma; Sac. Luis Navarro, della Prelatura personale dell'Opus Dei, Decano della Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università della Santa Croce, Roma; Sac. Christoph Ohly, della Diocesi di Köln, Assistente alla Cattedra di Diritto Canonico dell'Università Cattolica di München (Germania); P. Jan Śliwa, O.P., Vice-Decano e Professore nella Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università San Tommaso d'Aquino, Roma; e l'Ill.mo Dott. Richard Fitzgibbon, Psichiatra, Membro dell'Associazione Medici Cattolici degli Stati Uniti d'America (Stati Uniti d'America), *Consultori della Congregazione per il Clero.*

18 » » Gli Ecc.mi: Mons. Daniel Mark Buechlein; Mons. Séamus Hegarty; Mons. Antoni Stankiewicz; Mons. Francesco Moraglia; Mons. Juan Ignacio Arrieta Ochoa De Chinchetru; i Rev.di: Mons. Juan Esquerda Bifet; Mons. Kenneth E. Boccafola; Mons. Antonio Mirralles; Mons. Massimo Camisasca; Mons. Fernando Ocáriz; Mons. Giacomo Incitti; Mons. Jan Hendriks; P. Gianfranco Ghirlanda, S.I.; P. Luis Garza Medina, L.C.; Sac. Vittorio Gambino, S.D.B.; Sac. Libero Gerosa; P. André Manaranche, S.I.; P. Nikolaus Schöch, O.F.M..; P. Antonio Sicari, O.C.D.; Sac. Antoon Wullepit; e gli Illustrissimi: Prof. Giorgio Feliciani; Avv. Paolo Sciumè; Dott. Manfred Lütz, *Membri della medesima Congregazione.*

25 novembre 2008 Gli Em.mi Sig. Cardinali: Tarcisio Bertone, Segretario di Stato; Angelo Scola, Patriarca di Venezia, *Membri della Congregazione per il Clero.*

» » » L'Ill.mo Prof. Antonio Paolucci, Direttore dei Musei Vaticani, *Membro della Commissione Permanente per la tutela dei Monumenti Storici ed Artistici della Santa Sede « ad quinquennium ».*

» » » L'Em.mo Sig. Cardinale Karl Lehmann, Vescovo di Mainz (Germania), *Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali.*

1 dicembre » Gli Em.mi Sig. Cardinali: Ennio Antonelli, Keith Michael Patrick O'Brien, Anthony Olubunmi Okogie, *Membri del medesimo Pontificio Consiglio in « aliud quinquennium ».*

» » » L' Ecc.mo Mons. Claudio Maria Celli, Arcivescovo tit. di Civitanova, Presidente del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali, *Membro della Congregazione per i Vescovi.*

» » » Gli Em.mi Sig. Cardinali: Antonio Maria Rouco Varela, Arcivescovo di Madrid; Jean-Louis Tauran, Presidente del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso; Julián Herranz, Presidente della Commissione Disciplinare della Curia Romana; Javier Lozano Barragán, Presidente del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari; Attilio Nicora, Presidente dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, *Membri della Congregazione dei Vescovi.*

» » » Il Rev. Mons. Enrico Viganò, finora Aiutante di Studio, *Capo Ufficio nell'Ufficio delle Celebrazioni Liturgiche del Sommo Pontefice.*

NECROLOGIO

11 novembre 2008 Mons. Alessandro Maggiolini, Vescovo em. di Como (*Italia*).
12 » » Mons. Vladas Michelevičius, Vescovo tit. di Tapso (*Lituania*).
14 » » Mons. Michael Ugwu Eneja, Vescovo em. di Enugu (*Nigeria*).
16 » » Mons. Bruno Maldaner, Vescovo em. di Federico Westphanel – RS (*Brasile*).
18 » » Mons. Miguel Delgado Avilla, S.D.B., Vescovo em. di Barcelona (*Venezuela*).
» » » Mons. Manuel Castro Ruiz, Arcivescovo em. di Yucatán (*Messico*).
25 » » Mons. Antanas Vaičius, Vescovo em. di Telšiai (*Lituania*).
28 » » Mons. Edoardo Ricci, Vescovo em. di San Miniato (*Italia*).